Suis annumerat
Libris
Frid: Olrichs
Ao 1711. Ultraj.



LEONARDUS STRIK excudit.

GEMMAE
ET
SCULPTURAE
ANTIQUAE
DEPICTAE
A B
LEONARDO AUGUSTINO
SENENSI
Addita earum enarratione,
In Latinum versa
A B
JACOBO GRONOVIO
Cujus accedit præfatio.
PARS PRIMA.
Editio secunda.

Johan Wilh. [illegible]
Berlin
im Februar 1866 für [illegible]

J. S. [illegible]

FRANEQUERAE,
Apud LEONARDUM STRIK,
Bibliopolam, cIɔ Iɔ c xc i v.

Sanctissimo Domino

ALEXANDRO VII

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Quum Sanctitas Tua dignata ſit pacem favoremque impertire his proximis diebus meis ſub auſpiciis feliciſſimæ Tuæ ſtellæ, venio ſupplex, ut fungar canone ac tributo otii mei, offerens Tibi in hoc libro imagines antiquarum Gemmarum depictas, in quibus excellit quidem ipſa materia, & multo tamen magis ars ac præſtantia earum. Ad hoc nego-

tium me adjunxi, quoniam, ex quo Sanctitas Tua curam antiquitatis mihi commisit, placuit etiam illi aliquoties approbare diligentiam in ea meam. Quin & studiosius persuasit mihi eruditum ipsarum Gemmarum argumentum, non illud dissidens ab doctrina illa, in qua ab primis annis Tu Te involvisti simul cum aliis institutionibus & disciplinis; ita ut hodie nova virtute quadam quasi in factum redigas claras præteriti temporis memorias, & exemplum præbeas heroicæ ac divinæ pietatis. Cui rei fidem faciunt tum ipsæ antiquitates, quas Tua Sanctitas suscepit instaurandas jam ab principio pontificatus Tui, tum pium ejus studium erga Ecclesias & Basilicas, tum etiam munificentia per universam Urbem: ita ut Roma impugnata gravissimis malis agnoscat incolumitatem suam in Tua Providentia, & pariter exsurgat formosior, etiam ipsis ruderibus cum ea

læ-

lætantibus, quaſi jam jam ponendis ſuper ſua fundamenta & diuturnis victuris, quum ab injuriis & annis fuerint reparata. Idcirco tanquam Principi Antiquitatum Conſervatori, conſecro Sanctitati Tuæ has imagines, & ſimul ſupplico, ut dignetur reſpicere in variis earum ſymbolis expreſſam profundæ devotionis meæ conſuetudinem erga Sanctiſſimam Perſonam Tuam & Excellentiſſimam Domum ac Nepotes, ad quorum virtutem reſpiciunt publicæ ſpes & excitantur communia vota. Et hîc proſtratus in terram adoro pedes Sanctitatis Tuæ, Deum precans, ut in bonum Chriſtiani nominis Te ſoſpitet ac cuſtodiat,

Sanctitatis Tuæ

Humillimus ac Devotiſſimus ſervus

LEONARDUS AUGUSTINUS.

AMICE LECTOR,

Nondum abierunt multi anni, intra quos apparavi tibi Siciliam Paruta ab prima editione locupletatam notabili nomiſmatum augmento: tunc etiam me tibi obſtringens ſpondenſque apparatum alium illuſtris alterius memoriæ, nunc adſum, ut ſatis ample promiſſum illud meum præſtem, proferendo imagines antiquarum Gemmarum. Sunt ſculpturæ & varii lapides, in quibus altero tanto ſplendent veſtigia antiquitatis, quam ſunt ipſæ figuræ illis inſculptæ cum admirabili induſtria. Quippe vivens Romæ uſque ab Pontificatu Urbani VIII, quando Glorioſiſſimus ille & Sapientiſſimus Pontifex ſuo exemplo revocabat ſeculum noſtrum ad diſciplinas veteres, honoratus fui ſervitio Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Principis Cardinalis Franciſci Barberini, digniſſimi eo Nepotis meique perpetui Benefactoris & Patroni; qui etiam præterea ad duplicandam benignitatem ſuam, dignatus fuit referre me in familiam ejuſdem Pontificis. Ex quo tempore induſtriam omnem impendi, ut ex ruderibus eriperem ſtatuas, & inſcriptiones, & nomiſmata, & locum illis præberem in celebri palatio & bibliotheca Barberina. Neque hæc tantum mea cura fuit adunare marmora, metalla & eruditas ſculpturas, ſed & multiplicem copiam ectyporum & variorum lapidum, quæ omnia in pinacotheca ejuſdem bibliothecæ ſunt ſatis rara monumenta. Gemmis illis, quas Græci & Romani & melius moratæ gentes geſtabant in annulis & ornamentis ſuis, non modo ſe inſtruebant Nobiles & alii inſignioris famæ viri, ſed etiam Reges & maximi Imperatores, ut fecerunt Alexander, Ptolemæus, Mithrida-

thridates & Pyrrhus & Polycrates ille Samius, de quo tantum est fabularum, & Cæsar & Pompejus & Augustus & tot alii veteres simul & hodierni principes, qui eos gestabant usque in admirationem. Hinc est, ut nostro tempore sint illa æstimatißima tum consensu omnium eruditorum, tum laudibus quas iis concesserunt pictores ac sculptores; quippe quum Raphael Urbinas, Iulius Romanus, Michael Angelus Buonarotus et Polydorus in tam exiguis exemplis repererint argumenta maxima artis suæ. Ob quam causam quum semper fuerim cupidißimus hujus sortis gemmarum, & poßideam multas raras satis & excellentes, constitui participes facere amatores eruditionis et hujus conceptus, positus in otio valde huc opportuno, et aliquam partem satisfacere muneri meo Antiquarii, qui titulus cum altero Probatoris antiquitatum Romæ et in Latio mihi supervenit ab summa Clementia Optimi et Sanctißimi Pontificis ALEXANDRI VII, eo in tempore, quo benignißimus aspectus stellæ ejus respicit Christianam rempublicam, seque vertit prolixe ad virtutem et bonas artes. Ad cujus operæ effectum fieri non debet, quin à me memoretur auctoritas Andreæ Sacchii inter hodiernos pictores meriti laudes antiquorum, qui quum esset mihi amicißimus, me adduxit ad hoc suscipiendum, ita ut auxilium suum conferret simul ad picturam et sculpturam. Ego tamen huc usque exsequi illud distuli, quum difficile mihi esse comperirem invenire accuratum deformatorem, qualis fuit, in quem postea incidi Joannem Baptistam Galestruzzium, Pictorem Florentinum, qui per labores et progressus, quos habet in rebus antiquis, simul ad formam ex ipsis monumentis extrahendam, simul ad sculpturam omnia contulit, omnemque difficultatem vicit in augendis figuris ex habitu tam exiguo, ut vix visui pateat, servatis

et pro-

et proportionibus inter ipsas et gratia opificii vetusti. Itaque licet fortassis doctiores captabunt occasionem speculandi et cogitandi de his ipsis figuris et damnare tenues meas vires; nihilominus nolui omittere, ut non adnotarem aliquas meas breves expositiones, quas communicavi cum Joanne Petro Bellorio, à quo multas accepi eruditas observationes et notas: ita ut, Amice Lector, si liber hic respectu mei in nullo futurus sit pretio, tamen te precer saltem recipere illum pignus mei amoris adversus nobilia ingenia occupata in studiis pulcherrimarum artium; certus fore, ut hæ ipsæ gemmæ in tua eruditione illuminantes antiquitatem, fiant sigilla temporis et ectypa memoriæ; in qua me retine et vive felix.

SPE-

SPECTATORI
ET
LECTORI
JACOBUS GRONOVIUS
S. P.

Quum adeo ſancta, innoxia, etiam immo amœna mihi ac venerabilis nuper exorta fuerit cauſa & materia conciliandæ notitiæ, teneri nequeo, quin ejus teſtem te ac conſcium faciam; maxime quum relatio iſta ſimul te ſit edoctura editionis hujus occaſionem & incrementa. Nuper enim factum eſt, ut Abrahamus Blotelingius in cœlatoriæ peritia præcellens & ob eximiam artis ejus dexteritatem celebratiſſimæ jam famæ, non antea mihi viſus, expoſuerit animi ſui mentem ad beandum noſtrum orbem, dicam? an inſtaurandum ſeculum quæſitiſſimo hoc vel manus ſuæ ſpecimine vel lætiſſimo melioris antiquitatis ſpicilegio vel etiam opportuniſſimo ad cognoſcendos ſirmius & auctores & ipſos veterum ſenſus emolumento. Quocunque enim vel oculo adſpicias vel animo conſideres,

dubites profecto, quid ex his tribus potissimum in eo mireris & qua salutatione prosequaris. Nobis autem quum causa & res studiorum cordi præcipue sit, summæ voluptati fuit in his tantum non spirantem cernere vetustatis quendam genium, imo ipsam animam. Etsi enim passim animadvertamus cum pictorum cœlatorumque manibus ac penicillis certantes exactissimos elegantium ingeniorum calamos, & quidem ita, ut palmæ sint proximi; fateri tamen debemus parum abesse, quin mortuæ sint plurimæ narrationes, nisi hoc beneficio harum sculpturarum infundatur iis nova quædam quasi vita & prorsus ψυχὴ, quam his metallis comprehensam posteritati reliquerunt doctissimi artifices. Quod ne de singulis loquar; quantum est, ut illas chimærarum, amuletorum larvarumque portentosas omnino structuras haurire possimus perfectissime jucundissimeque ex unius oculi injectu? quarum licet singulas minutias exsequatur consummatissimus quoque stylus, nunquam tamen desinet esse intellectui cœca & obscura illa tot variarum rerum nescio unde non θαυμασίως sumptarum compages & tot tam discordium commentorum compositio. Sed negotia hæc præterquam quod commendationi suæ satis ipsa valida, & sponte causam suam orantia, magnamque ut mihi, sic cuicunque liberalius adspicienti infundentia & semper infusura æstimationem, suum ab Leonardi nostri sermone nanciscentur pretium, non minus quam ab multis nuper doctissimis viris numismata acceperunt. Propterea audito nostri Blotelingii consilio an dubitare potui, quin statim fronte in voluptatem effusa propositum hoc ut profuturum publi-

co

co & omnem in partem favorabile revererer, ſimulque ſi quid vellet operam ſedulitatemque meam omnem abſque ulla cunctationis ſorde illico ſponderem? Licet enim volumen illud in mundo eſſet, neque ego quidquam delecter vel ullum pretium ponam iſtis repetitis editionibus, præſertim quæ in his locis vigent, alienæ curæ & obſervationis, unde tam grandes nunc libri excuduntur; tamen alia hîc ſequenda mihi videbantur, quum non tantum paucos hic theſaurus haberet poſſeſſores, ſed etiam pauciſſimis vel innotuerit. Quapropter quum ego hoc animi motu uterer, neque ullo genere gravis eſſem; & ille jamdiu hanc ſpem coxiſſet, non potuit exſpectatio vel minima hanc operam morari. Ex illo igitur tempore, quantum fieri ab provido curatore potuit, & ipſius novi amici & hujus editionis commodum ſocillavi; quod & initio congreſſus noſtri & ſemper poſt inde in duobus potiſſimum decrevi conſiſtere. Primum fuit, ut archetypa ſine ullo vel minimæ aberrationis crimine ac nævo puriſſime referrentur. Quoties enim mihi contigit, ut quum his annis noſtris tot oblati ſint libri ad illuſtrandam illam antiquitatis partem, quæ in nummis continetur, doluerim adeo negligenter & futiliter deformatas exhiberi eorum imagines? quo ſane fit, ut nec uſui ulli ſerviant, & ſine fide eſſe debeant, & ſic cum nullo utentis commodo pretia librorum extendantur. Secundum erat, ut explanatio his cœlaturis adnexa ex ſermone Tranſalpino in linguam pluribus uſurpatam & occidentali Europæ familiariorem transferretur. Quorum quidem priori officio reſpondiſſe me omnibus modis ſpero agnituros, quibuſcun-

que vel libuerit vel tantum contigerit otii, ut comparationem istam instituere velint; aliquoties universa animi oculorumque intentione summa non modo in ipsa figurarum argumenta, sed in quaslibet etiam minimas parergorum partes conjecta, ut quantum poterat, omnia ad amussim convenirent. Et convenient, opinor, universa, nisi quod fateri hic cogar in unius defectu me hæsisse, quum subveniri illi non esset meum. Scribit enim Leonardus ad 1, 134. *La picciola statuetta sù la colonna col membro virile eretto*, quod posterius in hac editione prorsus non reperies, non id quidem vitio nostro, sed quoniam non est in Italica. In altero sive potius videri possim conatus fuisse idem, seu adsequutus plane fuerim, equidem vix dixero. Id tantum egi, ut in tot tantisque de interpretandi modo sententiis me ipse consulerem, nec excidere quidquam paterer, quod tueri nequirem, caste observata sententia non tantum auctoris, sed etiam manu, nec vel vocibus mutatis, ubicunque ullo modo fieri potuit. Evenit enim in progressu laboris hujus, ut alicubi libertatem mihi aliquam arrogandam esse censuerim, licet gnarus id præceps esse in alieno opere; sed ut qui maxime vanorum lapsuumque impatiens nihil putavi interesse in emendandis illis quæ emendari deberent, meum an alterius scriptum esset. Emendanda autem occurrebant alia, quæ typis adscribi poterant; alia, quæ ab festinatione auctoris ortum ducere videbantur; alia humanitati ejusdem imputanda. Et ne videar nimius esse, libet nunc aliqua conscientiæ tuæ proponere. Ab typographis venisse credebam parte I num. 45 G. POMPEO MAGNO.

num.

num. 122 *di Venere & Amne*. num. 146 *Sallanione*. num. 192 *Papilio*. part. II num. 10 *Therapene*. num. 13 *Dionysius*. Iisdem attribuo vitiosas quæ multæ hîc occurrunt, & unicuique conferenti primam editionem patebunt, citationes poeticorum scriptorum. An potius eas festinationi auctoris tribuendas putabis? Certe huic imputavi, quod parte I num. 33 *narra Episaro appresso Athenæo*. num. 77 *come scrive Polisseno*, ubi eum sic voluisse, ut reposuimus, constare potest ex dissertatione libro secundo præfixa & part. II num. 41; in dissertatione de gemmis *Helleno*, *Flaminio*; quod in eadem dissertatione citet prælium Timoleontis *in Calabria contro Icete al fiume Damiria*; quod ibidem scribat *Propertio parlando di Delia*, quum intelligat Tibullum; quod parte II num. 11 *Critia e Trifone*. Hæc ergo securus culpæ putavi licite omnia corrigi a me posse. Et similiter corrigi a me potuisse jam adverto, quod in dissertatione scribit interpretem Thucydidis testari *che il segno delli Re di Persia*, *secondo il parere di alcuni*, *haveva l'imagine di Serse*, *& secondo altri*, *quella di Ciro*, *o'l suo Cavallo*, *al cui annitrito egli si acquistò il Regno*, omittens appellationem Darii, quum auctoris illius scholiastes clare, ἡ σφραγὶς τοῦ Περσῶν βασιλέως εἶχε κατὰ μὲν τινας τὴν βασιλέως εἰκόνα· κατὰ δὲ τινας τὴν Κύρου τοῦ πρώτου βασιλέως αὐτῶν. κατὰ δὲ τινας, τὸν Δαρείου ἵππον, δι' ὃν χρεμετίσαντα ἐβασίλευσεν. Magis hæsi in illis, quæ tertium genus feci. Scribit parte I num. 8. *Scrive Luciano nel Simposio, che li pittori fingevano Hercole Folense*. An apud Italos Hercules sortitus sit tale cognomen, equidem nescio; Latinos non habere scio; immo nec intelligi

 posse,

posse, si talis in horum sermone produceretur Hercules, non magis quam si quis prodiret Molorchensis. Scribit num. 50 *Agrippa havendo ottenuto quella famosa vittoria navale, nel promontorio d'Attio, contro M. Antonio, fu honorato dal medesimo Augusto, con la corona rostrata.* Quæ licet vera sint; tamen causa non fuit, cur ejus victoriæ id donum allegaret potius quam anterioris contra Sextum Pompejum ad Mylas, quo id contigisse & Servius & alii testantur. Scribit num 92 de Baccha. *In quella bella testa intagliata in plasma:* at in ipsius figuræ loco significat esse *in corniola.* Scribit II, 27. *Aristomaco philosophando sopra la natura dell' Api, spese tutta la sua vita in osservare li costumi & le stupende operationi di esse, per lo spatio di sessanta due anni:* & tamen ex Plinio statim post citat ipse *duodesexaginta* sine ulla dubitatione. Gravioris momenti est, quod num. 65 scribit *un Vitellio di metallo col rovescio della Censoria, che sino a questo giorno và trà le medaglie piu rare.* Multum profecto sudabit, qui Censoriam illam inquirere volet ab auctore propositam non secus ac Augustam aliquam, in loco præsertim, ubi loquitur de Septimio & Julia. Sed nulla talis est ista Censoria. Itaque judicavi ab eo innui nummum Auli Imperatoris, in cujus averso latere est L. VITELL. CENSOR II, ut eum producit Occo; L. VITEL. CENSOR II, ut exhibetur in Croyanis & ab Spanhemio in Dissertat. VIII pag. 737, ubi universus ille excessus non redimit fœditatem, qua illic scribi video, *prima vero Cæsari aliquid porrigit.* An Imperatoris Vitellii pater est dicendus Cæsar? Nec magis accurate Occo. *Imp. sedens*

dens in ſubſtr. & ante eum 3 aliæ figuræ ſtantes, quum non ſit Imperator, ſed Imperatoris pater, & tunc Cenſor. Et hoc quidem ex ſententia mea auſus fui fingere. De Semiramide quod ſcribit 1, 77, quis tentare audeat? quum hoc proprium ſit ipſius, & quiſque Polyænum inſpiciens Semiramin iſtam Darii filiam ridere debeat; & magis, quod ibidem ſcribit *Li Regi di Perſia portavano il ritratto di lei negli elmi*, quum in diſſertatione recte, *uſarono li Re Perſiani il ſuggello con l'imagine di Semiramide*, prorſus ut Polyæno σφραγὶς. Similiter de annulis ſigilliſque qualia ſunt, quæ ab Macrobio ſcripta tradit in diſſertationis initio? Opinor omnino ambiguitatem eſſe in appellatione, & ab eo innui Marbodeum. Sed etiam ne quid ſubtraham ſilentio, non videtur mihi ſatis expreſſiſſe part. II num. 30 ſententiam Strabonis de opportunitate ſive Alexandriæ ſive portus ejus. Scribit enim *quel famoſo porto è ſituato in modo, che dal lato di Settentrione hà il mare Egittio, e da mezzo giorno il Lago, o Mareotide, che è riempita dal Nilo. Riferiſce Strabone, che per l'opulentia, & per l'opportunità ſua, queſto Porto ſupera ogn' altro del Mondo, eſſendo atto alle coſe maritime, & commodo al traſporto delle mercantie di terra per via del fiume, & che per queſto lago per la frequenza, & ricchezza delle merci, all' altro di mare era preferito.* Nos quidem in verſione horum Latina non putavimus abſcedendum ab his auctoris verbis. Sed animadvertis defectam eſſe hanc ratiocinationem; neque ſatis exprimit in quo præſtiterit portus verſus paludem portui marino; ſed neque ait per has duas cauſas Strabo hunc portum præſtare omni-

mnibus, qui uſquam ſunt; nec potuit dicere ſalva judicii bonitate, quum tot ſint alii eximii portus & ad populares fructus evehendos & ad externos commeatus e mari invehendos longe commodiſſimi: ſed multo plura habet Strabo ac ſingularia profecto, quæ cognoſcas licet ex his ipſius verbis, lib. XVII, 793. πληροῖ δὲ ταύτην (Mareotin) πολλαῖς διώρυξιν ὁ Νεῖλος, ἀνωθένδε καὶ ἐκ πλαγίων, δι' ὧν καὶ τὰ εἰσκομιζόμενα πολλῷ πλείω τῶν ἀπὸ θαλάττης ἐστιν· ὥσθ' ὁ λιμὴν ὁ λιμναῖος ὑπῆρχε πλουσιώτερος τοῦ θαλαττίου. ταύτῃ τὰ ἐκκομιζόμενα ἐξ Ἀλεξανδρείας πλείω τῶν εἰσκομιζομένων ἐστι. Sic enim conjunctim ponenda illa, non ut editur ſeparatim ἄνωθεν δὲ καὶ, quod nullam ſententiam facit. Et certiſſimam hac loquutione Strabo præbet ἀσφάλειαν interpretationi meæ, qua Daventriæ quondam rogatus ab amico cariſſimo & per inſignem doctrinam ad otium illud meum exhilarandum efficaciſſimi leporis Viro, nunc juſtiſſime ad celeberrimam cathedram promoto Jacobo Perizonio aggrediebar voces inſcriptionis apud Gruterum pag. DIII Μένισκον Εἰρηναίου υἱὸν Μιλήσιον τὸν γεγονότα Μένισκον ἀνωθένδε Θαργηλίου, ubi etiam male diſcerpitur, quum vel ipſe editor, vel qui deſcriptum monumentum illud ei tradiderunt, non conciperent aut alibi non obſervatam haberent hanc formationem. Hæc paüca ſunt, quæ huc irrepſiſſe novi offenſura lectorem; certe quæ me offenderunt; in reliquis egregiam hanc Synagogen pulcherrimorum viſu ludicrorum & digniſſimarum animo politiore contemplationum laude & favore pleniſſimo complectentem. Et ſic meum curatoris officium exſequutus poſſem te miſſum facere, & permittere, ut ires & cu-

rioſæ

rioſæ menti tuæ appoſitam hanc apparatiſſimam & amœniſſimam priſcæ varietatis velut in abaco expoſitam ſupellectilem inſpicias ac haurias. Sed amo Leonardum Auguſtinum; exoſculor illam ſimplicitatem, qua venerabilis antiquarius utitur in producenda ἐξηγήσει horum ſymbolorum. Hunc affectum cupio ut tu quoque imbibas, nec ullo præjudicio oneratus ad eum accedas. Et prius quidem imbibes, opinor, ſi præeuntem videas virum doctum, & quæ ille ſcripſit de præſtantia numiſm. pag. 149 conferens cum his Leonardinis parte I num. 209 & 210 advertas, quam lepide hæc ab eo ſint lecta. Contra innaſcetur tibi præjudicium, ſi aurem dederis nonnemini, qui nuper exortus hanc ipſam ſimplicitatem turbare & neſcio qui ἀντιφιλοδοξεῖν ſuſtinuit in exponendo lapide undecimo partis ſecundæ. Quid enim facit? nempe verba ejus ſunt, quum dixiſſet ſe non poſſe facere, quin ſuam de marmore a Leonardo Agoſtini viro erudi-
“ tiſſimo edito ſententiam aperiret, talia; Cernitur in
“ eo juvenis intecto capite caduceum tenens, jacens
“ in arietis dorſo nudus, fere ita ut ab eo ferri vel in
“ cælum vel in aliam regionem videatur. Doctiſſimus
“ editor Mercurium eſſe arbitratur, quia Pauſanias nar-
“ rat Corinthi fuiſſe æneam Mercurii ſtatuam, cui ap-
“ poſitus erat aries. Verum mihi diligenter vultus li-
“ neamenta perpendenti, & conſideranti, nec tala-
“ ria nec tempora alata ſive petaſum hic cerni; non-
“ nunquam ſuborta opinio, Antinoum repræſentari.
“ Sane eodem plane vultu, eodem capillitio decorus
“ non modo in nummis variis, verum etiam in gemma
“ alibi apud Agoſtini occurrit. Id primo quam perver-

ſum? An optimus hic Leonardus nihil ibi adfert, niſi Pauſaniam de Corintho? Per fidem publicam! immo id minimum eſt: immo id primum præmittit, velut maxime imbecillum, & mox aliis melioribus & quidem duplici ſymbolorum genere idem munit. An vero hæc noſtro non ſunt ſatis valida, ac tam infirma, ut produci non mereantur & prioribus illis addi? immo validiſſima quidem illa ſunt, & adeo valida, ut præ illis ſententia de Antinoo ſit lutum. Quid enim ab hoc noſtro diligenter perpenditur ac conſideratur? nempe vultus lineamenta, nec talaria nec tempora alata ſive petaſum hic cerni. An futilior conſideratio & vanior ſuſpicio dari poteſt, ut ubi illa quæ nominat non ſunt, ibi nec ſit Mercurius? & propterea quies harum explicationum exemplo abſurdiſſimæ conjecturæ ſollicitari debuit? Quid ergo reſpondebit ad monumentum Auguſtanum in ædibus Peutingerorum, ubi idem ſine talaribus, ſine alis involucro capitis adnexis cernitur læva tollens caduceum, dextra crumænam capiti taurino (non enim capio, cur nobiliſſimus & eruditiſſimus ejus editor hircini aliquid in procumbente beſtia concipere potuerit) inter cornua imponens? Ne negari ullo modo poſſit hunc eſſe deum quo de agitur, evincit omnino addita inſcriptio MERCURIO. Immo quid reſpondebit ad nummum Herennii Decii Meſſii Etruſci, quem profert Triſtanus tom. II pag. 650, ubi plane etiam ſine petaſo ſimul & talaribus? An igitur nec iſte erit Mercurius? immo ringente illo eſt eritque. Eundem nummum ſic video ſub inſcriptione Pietatis Augg. referri quoque in Croyanis, ſed illic petaſum ei adpingunt. In qua ambi-

ambiguitate ut vix decerno, ubi ſit error; ita de Triſtano ſecius cogitare non libet, quum is attente hoc ipſum conſideraverit, diſerte annotans *ſans bonnet & ſans ailes*. Sed in rejicienda hujus diverſæ conjecturæ ineptia cur probationes petimus aliunde, quas hæc priſcarum manuum artificia abunde præbent vel ex uno conſpectu numeri 199 partis primæ, ubi prorſus eundem Mercurium ſic cum burſa & caduceo, ſine temporibus alatis vel petaſo & talaribus videas. Hæc autem ratiocinatio tanto eſt indecentior, quod illum nummum Decii ipſe inſpexerit ſatis ac conſideraverit, ut colligi poteſt pag. 287 ejus voluminis. Etſi profecto ignorem ego, quæ doctrina illum ibi induxerit, ut ſcriberet, *In Decii Junioris, Q. Herennii Etruſci Meſſii Decii, & M. Aurelii Carini Mercurius*. Quo ſpatio diſtant, oro, Decius Junior & Q. Herennius ille Etruſcus Meſſius Decius? an ignoravit eundem duabus his appellationibus Principem indicari? Sed & eodem in loco vehementer illum Mercurius agitat, ut inſcriptionem Pietatis vel Religionis in nummis hunc Deum exhibentibus inveſtiget contra Antonium Auguſtinum & Triſtanum, negatque a quibuſdam Imperatoribus relatum eſſe Mercurium in nummis, ut ſic Mercurio pietatem ac religionem adfingerent, ſed ut pietatem propriam declararent per ænigma ejus Dei, ut alii Impp. per alia. Sit hoc ita, & bene procedat contra hos duos, & aliqui Impp. demonſtraverint ſuam pietatem per Mercurii imaginem. An ideo refutata eſt ſententia illorum præſtantium hominum? Immo adhuc poteſt illa eſſe vera, & eſt verior quam hæc nova: quam ſi recte ſtabilire voluiſſet,

luisset, non contra hos tantum agere debuit, sed vel maxime iis se opponere, quæ proferuntur in eruditissima explicatione nummorum Croyanorum XLV, 19, ubi perfectissime confirmatur a Mercurio sacrificia & Deorum cultus tradita atque ordinata esse, ex certissimo loco Diodori Siculi; quod ille refellere ita non potest, ut nequeant videri hi Imperatores in illo signando & imprimendo nummis suis ad illam opinionem respexisse. Non est igitur, Lector, quod suspectus tibi sit propterea Leonardinus Mercurius; & omnino non erit posthac, si ad hæc adhibueris collectanea Hieronymi Aleandri ad tabulam solis pag. 72.

Idem iste nonnemo Leonardi volumen citans alio "loco sic scribit: non secus ac Autumnus corbem fru-"ctibus repletum cum anate, vel, ut ego arbitror, "ansere tenens apud Leonardum Augustini part. I gem. 147. Itane parvum discrimen est inter duos illos, ut hic tam sedulus imaginum spectator anatem nesciverit separare, aut certe tunc non separaverit ab ansere? Potuit sane oculus Leonardi aliusve sensus aliquid fuisse passus; potest cælatoris manus paulum abiisse ab exemplo, & in corpore duxisse lineas incongruas. Sed tamen si qua ex judicio veterum hujus ambiguitatis decisio fieri debet, (ut profecto debet) utique quum paludicolam avem ab Februario prendi scribit Ausonius, an non clare in eodem Cæsarei Calendarii mense apud Lambecium exprimi anatem videmus, quæ immane quantum distat ab ansere, quem idem exhibet in Novembri, & ab Ausonio *avidus anser* scribitur. Et sicut ista anas immensum distat ab anse-

anſere iſto, ſic proxime accedit ad figuram hanc Leonardi noſtri. Minima quædam omitte; ſed quod plene in oculos incurrit, cui attendere ſculptor debuit, ſolam colli longitudinem metire, & apparebit abſurda vanitas. Collum, ſi pedibus teneatur avis pendens, longius apparet, quam ſi in naturali ſtatu ſurſum verſus vel inſideat aquæ manibuſve aut corbi vel incedat pedibus. At hoc collum ſic pendens in figura Leonardi non extenditur amplius aut teretius, quam ſolet eſſe anatis vel natantis vel incedentis aut portatæ, qualis quoque eſt in anate Februarii. At longe aliud ſpatium vides in anſere Novembris: ita ut Leonardus adhuc ſtare poſſit. Nec corporis forma aut magnitudo moveat quidquam, quum & tam varia ſint earum genera, & mirificæ in illis pro regionibus varietates, ut pleniſſime obſervatum novimus ab præclaris viris, qui deliciis naturæ in denſiſſima hujus generis diverſitate contemplanda operati fuerunt attentius. Idem tamen video accidere in ſacrorum miniſtro, qui exhibetur part. II num. 39, ubi caute quidem de iſtis, quæ portantur, ſcribit Leonardus *ſei uccelli ſimili all' anetre*: ſed qui eandem figuram citat diſſert. IV de præſtant. numiſm. pag. 266, non dubitat edere *appoſitis cum florum aut fructuum primitiis, tum inſuper anſeribus vulgo Iſidi ſacris*; quod quum non videatur negare Leonardus, ſit ita, vel ob citatum Auſonii anſerem, qui ſiſtro compeſcitur, ſed hactenus.

Denique referta terſiſſimæ doctrinæ explicatio ſubnexa eſt Veneri part. II num. 15, ita ut Leonardus noſter honorati ſilentii confeſſione placare ma-

luerit genium elegantiſſimi iſtius Ginii. Huic eidem nonnemini illa non adeo probatur, ut ſcripſerit ibi-
“ dem pag. 174. Exſtat hanc in rem elegantiſſima
“ gemma apud Antiquarium urbis præcipuum Leo-
“ nardum Auguſtini; cerniturque in ea Venus com-
“ poſitis rite capillis decora & nuda plane, manu dex-
“ tra tenens tres ſagittas; ſiniſtra vero lanceam ſive
“ thyrſum, quem ambit vineæ ramus racemis onu-
“ ſtus, cujuſque ſummitati impoſitæ ſunt ſpicæ; ad
“ indicandum ſcilicet Venerem abſque illis rebus fri-
“ gere. Uvas ore petit Cupido alatus, & ante eam
“ ſedet Cupido alius vel puerulus carens alis; quo
“ ænigmate, licet vates non ſim, arbitror ſignificari
“ amorem vulgaremCerere ac Baccho ali, ſæpiſſimeque
“ caſtra mutare & dubiis volare pennis; at cœleſtem
“ ſive purum & pudicum ſtabilem eſſe, proptereaque
“ alis carere ac ſedere. Quæ vaticinatio equidem niſi fuiſſet iſti volumini immixta, videlicet verendum fuit, ne ornamenta omnia decenter non fuerit habiturum, aut reſpublica literaria tanto perfectiſſimæ ſuſpicionis arcano inhonorata parum recte procederet. Credo equidem, ſi adeſſent Leonardus & Ginius, huic Paridi gratularentur. Enimvero quis toleret alas affixas ideo divinantem, quod ſæpe mutet caſtra & dubiis volet pennis? Diis omnibus fere deprehendimus adfigi alas, & ipſe novit. Si ſequamur ſcilicet vaſtitatem hujus conjecturæ, id credemus ideo fieri, ut innuatur eorum inſtabilitas ac levitas. Quis non rideat? quaſi id non ſiat ſuo ſecreto reſpectu, & ut ille ait, πάντα νόυ πτερύγεσσιν ἐπίδρομον, ὅσσα παλαιὰ, ὅσσα νέα. Rurſum ſcilicet aut Conſtantia aliqua aut Stabilitas

pro

pro typo gerit modum ſedentis in nuda terra, ut ſic fingi hic ſtabilis Cupido ſedens debuerit. Nugaciſſimum profecto. Porro adhuc cæleſtis & purus & pudicus amor credendus effingi ſub ænigmate ejus, qui terræ adfixit inferiora? Hoc ſcilicet docent poematici illi & *αἰνιγματώδεις* luſus. Quidni attulit huc Propertiana II, 12? quæ ſi inſpexeris, videbis quid velim. Utique quî poteſt ille eſſe amor cœleſtis, qui clare elevata dextra admirans felicitatem alterius ad vellendum uvas accedentis Cupidinis, omnino apparet ſiniſtram fultus telluri velut eodem nitens accedere & acceſſurus, ſi aut ſurgere poſſet aut alas haberet? Denique ut pleniſſime dicas PARUM CAVISSE illum inventorem hujus commenticii *ἀθύρματος* in illo cœleſti Cupidine, inſpice partis primæ figuram quintam decimam in Venere cœleſti; & ibidem figuram CL in Pſyche genu poſito & ligatis manibus coacta deſcendere in terrena, & præcipue partis II num. XXI. Equidem ſteterunt præſtantiſſimo Leonardo conſilia in eo, ut hic ejus labor in conquirendo & interpretando publice noteſceret; etiam, ut in his ſubobſcuris fieri facile poteſt, poneretur in medio eximia æmulatio producendi inde alicujus novi; (atque equidem nemo erit tam ſiccus, cui non exigenti iſta naſcantur quædam aliæ harum ambagum declarandarum viæ, & ne hic noſtri experimentum demus, occupatio nimia prohibet) nec quaſi remediorum impatiens quenquam deterret ab iiſdem ſpectandis & acutiore vi probandis; & ubi non exſtat materia acuendi ac declarandi ingenii? Sed ab humanitate eorum, quorum oculos iſtæ gemmæ paſturæ erant,

hanc

hanc certe ſedulitatis mercedem & ipſis non onero-ſam, ſibi gratam futuram ſperavit, ut ad hæc ſua conſideranda, præſertim ad καινοτομίαν aliquam inferendam, juſtum doctrinæ robur ac ingenuam lætitiam ſine ulla temeritate & arroganti confidentia adferrent. Immo quidni merito ſtipulatus eſt memoriæ id ſuæ, ut qui tot amabiles effigies & diu obrutas & jam jam penitus perituras, aut certe apud paucos occultandas, ad gaudia omnium oculorum mundo reddidiſſet, amoris ſui effigiem animis & judicio poſterorum imprimeret, non tam ἀμόρφου Muſæ fieret jocus. Et hæc quæ a nobis omitti nec honeſtum nec tutum fuit, dicta ſunto hactenus ad illibatam ſervandam formam non modo harum gemmarum, ſed etiam ipſarum explicationum, unde aliquoties conſpectus meus volupem ſibi conciliavit eſcam.

Porro ut volumini huic qualiſcunque accederet a nobis gratia, quoniam & inter has ſculpturas publicatum eſt exemplum ſymboli Mithriaci, & paſſim ab viris doctis mentionem fieri videmus eorundem, quæ multis locis Romæ conſpiciantur; non ineptum me fore putavi, ſi hac occaſione, quotquot hujuſmodi ſpecimina facere juris mei poſſem, conſpectui publico patefierent. Nam ſicut ipſe memini optaſſe aliquoties poteſtatem ea contemplandi, ita ab ejuſdem deſiderii æquitate alios non abeſſe exiſtimo, vel ideo, quod adeo invenuſte & incondite deſcriptiones per verba factas agnoſcere debeamus. Quis enim intelligit illa, quæ ex Smetio refert Gruterus? nempe Romæ in ædi-
" bus Alteriorum ad Sanctum Marcum Mithra veluti
" in rupe excavata ſtat, dextra cultrum monſtrans,

ſini-

Post Præfationem J. Gronovii



Post Præfationem J. Grævii




3


LEONARDO AGOSTINI SENESE D'ANNI 63

ANNOTATIONES
AD
GEMMAS ANTIQUAS
LEONARDI AUGUSTINI.

PARS PRIMA.

ANNOTA-

ANNOTATIONES AD GEMMAS ANTIQVAS LEONARDI AUGUSTINI.

1. ISIS ET SERAPIS.

Caput Serapidis, cui imponitur calathus vel panarium frondibus ornatum, declarat efficaciam & naturam ejus Dei, qui Ægyptiis idem existimabatur soli. Talis describitur Lysiæ, Plutarcho & Macrobio his verbis. *Cujus vertex insignitus calatho & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostendit, quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur. Accipe nunc, quod de sole vel Serapi pronuncietur oraculo.* Alia tamen est ratio veritatis historicæ, quæ affirmat Serapidem regem, quum esset justus ac sapiens, exemisse Ægyptios vitæ agresti, dedisseque illis aratrum cultumque vitium: & quia is ita erat auctor fertilitatis, eum pingebant gestantem capite panarium; in aliis imaginibus, circumdatum juncis cum sarmentis vineæ & alterius generis ramulis.

Templum Serapidis ab Vitruvio ponitur circa forum, quaſi ipſe eſſet præſes annonæ. De Iſide dea, quæ cenſebatur Genius terræ, ornata frondibus perſeæ ſimiliter in capite, agetur in alia ejus imagine.

2. APOLLO.

Inter alia cognomina data Apollini etiam appellatus fuit intonſus & crinitus ob promiſſos ejus capillos, & talis apparet in onyche ſculptus. Heſychius exponit comas intonſas eſſe typum immunitatis ab dolore; & quia Deus hic creditur liber & purus ab omni perturbatione, ab Græcis appellatur Φοῖβος. Prorſus ita Bacchus etiam fingebatur ſemper juvenis & capillatus, ſemper agens hilariter & jucunde, prout deſcribitur

Solis perpetua eſt Baccho Phœboque juventa;
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Curæ videlicet ac ſollicitudines citius admovent ſenectutem, quum hilaritas ac lætitia juventutem conſervent.

3. AESCULAPIUS.

Statua Æſculapii deſcripta ab Calliſtrato, apprime huic ipſi ſimilis eſt, & vultus illic Dei item temperatus & jucundus, habitudines & ſigna propria hominis ſani. Unde etiam majorem quam alii Dei ipſe in vultu refert ſimilitudinem & benignitatem Jovis; niſi quod ex mento & labiis dependeat illi barba longior, quæ ludibrium debuit Luciano; inde nempe,

quod

quod quum pater ipsius Apollo nondum præferat enatam hanc lanuginem, ipse totus esset pilis obsitus ac barbatus.

4. HERCULES JUVENIS.

Reperiuntur Herculis tam statuæ quam picturæ ætate juvenili: sed in hoc agate, præter quod sit sine barba, exhibetur coronatus lauro, quia judicabatur idem soli, sicut præter notam Macrobii & Porphyrii eruditionem Orpheus & Nonnus eum vocant solem, effectusque & numina solis ei adsignant. Præterea etiam ideo juvenis est, quia idem Orpheus eum vocat varium facie, & Nonnus affirmat clarius ab eo venire & juventam & senectam, ut in sequentibus typis.

5. HERCULES LAUREATUS.

Adjungit Nonnus Herculem esse filium temporis, & ab eo produci circuitum annorum: unde diversimode formatus exhibetur, barbatus aut imberbis, pro varia ætate, cujus ipse præses est. Corona laurea, extra causas solis modo editas, potest etiam convenire illi respectu amicitiæ, quæ inter eum & Musas est, aut velut symbolum immortalitatis, quæ illi concessa est præmium eximiorum facinorum.

6. HERCULES CYNICUS.

Apud Lucianum legitur laudatio vitæ Cynicæ, etiam ex Herculis exemplo, qui circuibat neglectus, nudusque & spernens opes amore virtutis eandem vi-

tam exornabat heroicis ausis. In eadem figura exhibetur celatus in hoc sardio, barba capilloque prorsus non curatis: etiam nudus, quantum conjici potest, quæ & erat ipsius consuetudo & ipsi passim tribuitur, videlicet, ut exemplo suo homines ab vitio deterreret ac tenuitatem justitiamque hortaretur. Ille igitur non est factus immortalis nec ad cœlum venit auri copia vel imperii magnitudine, sed quia se exposuit periculis & monstris & ærumnis, solo amore virtutis, subveniens justis & puniens impios.

7. HERCULES LAUREATUS.

Respice ad quintam imaginem modo prægressam.

8. HERCULES CUM CLAVA ET POCULO.

Bacchus dicitur, quum venisset Tyrum, Herculem donasse poculo aureo, & Alexander exemplum Bacchi sequutus, dedicasse ei alterum, prout narrat Quintus Curtius; quippe qui referebat ab Hercule originem. Hoc poculum refertur insculptum crystallo, cujus proprium apud Latinos vocabulum e Græco sermone sumptum fuit *Scyphus*. Macrobius declarans versum Virgilii in persona Herculis

Et sacer implevit dextram scyphus.

Scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus. Herculem vero fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt, & nonnunquam quassabundum & ebrium: non solum quod is heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quod antiqua historia est Herculem poculo tanquam navigio ventis immensa maria transisse. Præter Macrobium scribit

ſcribit quoque Lucianus in ſympoſio pictores finxiſſe Herculem apud Pholum cum ſcypho in manu, qui factus erat ad formam noſtrorum cyathorum, ore amplo & grandi, at fundo anguſto parvoque, prorſus qualis eſt in hoc ipſo cryſtallo. Heros iſte amavit bibere in poculis majuſculis, deque ejus ebrietate pluribus in locis agit Athenæus. Talem vero videntur finxiſſe ſectatores voluptatum, ut ſic jungerent hilaritatem fortitudini, quæ ſecta contraria erat Cynicæ, quæ ſtatuebat Herculem quoque Cynicum, ut deſcriptus occurrit in præcedente imagine. Cryſtalli cui caput hoc inſculptum eſt, magnitudo duplo vincit magnitudinem annuli.

9. BACCHUS.

Hæc Bacchi larva comas habet collectas in morem puellarum, tenero ac delicato vultu, pro gemina ejus natura maſculina & fœminina. De uſu larvarum in Bacchanalibus poſtea dicetur: nunc tantum noto crines calamiſtratos pendenteſque more Ægyptio. Quorum occaſione adducor, ut opiner hunc rariſſimum & excellentiſſimum varium lapidem ſculptum eſſe ſub Ptolemæo Philadelpho in celeberrimis ejus Bacchicis feſtivitatibus, quæ ampliter deſcribuntur ab Athenæo, eruditiſſimo & elegantiſſimo ſcriptore.

10. PAN.

Panes, Satyri, Sileni, & Tityri & omnes Dii ruſtici & agreſtes comites fuerunt & ſectatores Bacchi, id agentes, ut ſemper hilariter viveret, narrante Dio-

doro. Et hinc eſt, quod poſt illam Bacchi larvam collocetur hæc Panis vel Satyri. Hujus etiam feſtivitates ſacrorum in comœdiis & ſatyricis ludis implebant ſcenam, ut ex aliis deinceps imaginibus hoc libro colligetur. Jaſpis hujus ſculpturæ eſt ingentis formæ.

11. FAUNUS.

Mos bacchantium fuit caput circumdare foliis & ſarmentis vitium ac hederæ, & veſtire ſe variis pellibus damarum, caprorum, cervorum, tigrium & leonum, quæ uno vocabulo appellabantur nebrides. Notabilis in hac effigie modus cingendi ſe, & adſtringendi illas pelles per ungues, prout egregie illum depingit poëta Claudianus.

Lenis procedit Jacchus
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.

12. FAUNUS.

Cum fiſtulis & tympano. Larva hujus Fauni uſurpabatur in choro ſatyrico, de quo ſingularia quædam poſt dicentur. Fiſtula vel potius ſyrinx ex arundinibus compoſita appellabatur πτυρία lingua Dorico - Italica, ut refert Athenodorus apud Athenæum, unde etiam Theocritus & Virgilius dixerunt ſuos Tityros. Alterum muſicum inſtrumentum, quod eſt inferius, ſpecies eſt tympani rotundi, cujus interdum fundus coriaceus percutiebatur palma; interdum ſuccutiebatur in vacuum aerem, ob ſtrepitum mobilium & ſonacium laminarum ex ære, quæ & hic apparent pictæ per

per orbem & in antiquis bacchantium marmoribus. Athenæus vocat κρέμβαλα.

13. MELEAGER.

Quamvis conjunctio duorum capitum, humani & aprini, possit referri ad monstrosa apotelesmata, quæ frequentia occurrunt in sculpturis, & in annulorum gemmis humani vultus juncti cum vultibus membrisque ferinis: nihilominus quum observaverim in alio sardio caput Neptuni cum capite Delphini junctum, adductus fui, ut cogitem hoc forsan esse caput Meleagri & apri Calydonii.

14. HIACYNTHVS.

Quum hæc pictura similis videatur alteri picturæ ejusdem Hiacynthi impressi ab Fulvio Ursino, hinc & ipse sequutus sum auctoritatem ejusdem scriptoris. Refert Pausanias pictorem Niciam simulavisse Hiacynthum in facie formosissimi pueri, at Baticlem finxisse jam cum barba. Quod si quis aliter censuerit, opinetur licet esse Regem quendam peregrinum.

15. HOMERVS.

Affirmat Plinius non reperiri veram & naturalem Homeri imaginem; sed & esse fictam ad ornamenta bibliothecarum. Id quod satis adfirmat varietas picturarum illius poetæ. Hæc ipsa tamen convenit nummo per Ursinum edito.

16. PHI-

16. PHILEMON.

Auctor fuit novæ comœdiæ, & pictura hæc ejus par est alteri apud Ursinum.

17. SILENVS.

De Silenis ac Satyris inductis in scenas postea dicetur. Notari meretur in hac larva capillicium vel galericulus cum omni capitis rotunditate ad differentiam aliarum, quæ cum sola parte anteriori visuntur.

18. VIRGILIVS.

Inter gemmas Petri Stephanonii occurrit imago Virgilii laureata & palliata sedens: & simile caput huic meo editum est ab Fulvio Ursino. Et omnes & hæ tres vertunt se ad unam larvam, quam refert Faber ad poesin Bucolicorum. Cui tamen opinioni non videtur consentire, quod hæc larva habet frontem alatam; & in aliis duabus apparet pileus cum alis. Vnde potius suspicor ego exprimi symbolice Memoriam a poetis invocatam, sicut Alcinous Platonicus vocat Memoriam alatam. Vultus vero senilis notat tempus præteritum, ad quod volat & se defert ipsa memoria. Ad hanc fidem tanto fortius inclino, quod in sculpturis Gorlæi exstet Prudentia habens in manu speculum, sub forma Jani, cum hac larva alata in postico, quæ sine dubio innuit tempus præteritum.

19. SOCRATES.

Non eſt pictura notior quam Socratis per calvitium & depreſſionem naſi, ſimilem Sileno. Hic tamen ab oraculo judicatus fuit omnium hominum ſapientiſſimus, præbens veriſſimum exemplum, ab virtute vinci pravam inclinationem.

20. ARCHYTAS.

Fuit illuſtris dux Tarentinorum, & Philoſophus celebris ſectæ Pythagoreæ, florens ætate Platonis, & pictura ejus convenit cum nummo.

21. PHILOSOPHVS IGNOTVS.

Aut alius quiſpiam illuſtris pulcherrimo modo ſculptus in vario lapide.

22. PHILOSOPHVS IGNOTVS.

23. PHILOSOPHVS IGNOTVS.

24. APOLLONIVS TYANEVS.

Imagines Apollonii exhibentur manibus extra pallium productis, & præter numiſma Urſini eſt penes me facies marmorea, perſimilis huic eximiæ ſculpturæ. Notabilis in hac imagine eſt modus philoſophorum continentium ſe intra pallium; ita tamen, ut brachium vel manus extra illud efferri poſſet, quod Latini dicebant *exerere brachium* vel *manum*.

25. POETA IGNOTVS.

26. PHILOSOPHVS IGNOTVS.

27. M. TVLLIVS CICERO.

Facies Ciceronis ſculpta in agate nigro convenit cum numiſmate Græco Fulvii Urſini. Convenientior tamen eſt cum capite marmoreo, quod cum duabus Marii & Sullæ aliiſque rariſſimis ſtatuis egregia fuerunt ornamenta magnificentiæ D. Maffæi Barberini Clerici Cameræ Apoſtolicæ, qui poſtea fuit glorioſus ille Urbanus VIII. Hodie autem conſervantur in ejuſdem familiæ palatio ad radices Quirinalis.

28. SENECA PHILOSOPHUS.

Varius hic lapis ex magno agate cum fundo ſardonycis ſculptus eſt in capite albo raſo ad morem Romanum, in quo cognoſcitur vultus & ſimilitudo Senecæ Philoſophi Ethici, præferens illam ejus maciem, ortam (ut ipſe ſæpe teſtatur) ex victu tenui, ex ſtudiis, & ingenita naturæ ratione. Reperiuntur nonnullæ ejus ſtatuæ in balnei ſolio, ubi illi inciduntur venæ. Eæ ipſæ habent nonnihil barbæ circa mentum, velut factæ partim extrema ætate ipſius, partim poſt mortem: quo tempore is vitata aula moribus & habitu verſus erat in Stoicum.

29. SACERDOS.

Hic ſacerdos velatus, tam quod ad barbam, quam palliolum aut pileolum quod in capite gerit, pro-

prope admodum accedit ad illos, qui portant ancilia, ut apparet ex numero 152.

30. SACERDOS.

Refert Plutarchus in Quæstionibus, Romanos in salutandis Deis fuisse caput velatos; at in honorandis hominibus illud aperuisse, ut ne efferre se viderentur ad res divinas. Velabant se igitur apud Deos ut se præberent humiles, attracta toga super aures, præ metu videlicet, ne quid profanum & impurum audirent, plane ut exhibetur in imagine hujus rasi & prorsus non barbati sacerdotis Romani. Sed & illud colligitur, Romanos se operuisse non per laciniam, sed partem togæ viciniorem humeris, ut advertit Ferrarius contra sententiam Lipsii.

31. PERGAMVS.

Fuit conditor clarissimæ urbis in Asia cognominis, in qua postmodum regnarunt reges Attalici, celebres opibus & studiis bonarum artium. Reperitur quoque numisma cum impressa imagine hujus regis & circumcirca literis ΠΕΡΓΑΜΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ, quod cusum deinde fuit ab Pergamenis in memoriam conditoris ipsorum.

32. ALLION,

Athleta & victor ludis Pythiis, coronatus lauro, quod erat victoriæ præmium in illis Apollini consecratis, in cujus honorem celebrabantur, ita eos describente Ovidio.

Hic juvenum quicunque manu pedibuſve rotave
Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat.

Pindarus elegantiſſimas odas ſuas compoſuit in honorem victorum in ludis ſimul Olympicis, Pythiis, Nemeis, Iſthmiis, ex quibus colligitur, quanta fuerit illorum gloria, ut etiam ex Pauſania & aliis ſcriptoribus conſtat.

33. ALEXANDER MAGNVS.

Cornutus. Narrat Ephippus apud Athenæum, ſolitum Alexandrum induere ſacros Deorum cultus, & aliquando amictum fuiſſe purpura Ammonis, ſic ut & capiti accommodaret cornu, ad inſtar ipſius Jovis Ammonii, cujus filius haberi volebat: qualis conſpicitur in hac imagine. Sed quod Alexander loco coronæ nunc portat cornu, in mentem mihi ducit id quod aliquando legi, nempe vocem KEREN in lingua Hebraica notare tam coronam quam cornu, quod in ſacris literis eſt ſymbolum regiæ poteſtatis. *Et cornu ejus exaltabitur in gloria.* Etiam duo radii ad ſimilitudinem duorum cornuum divinitus reſplenduerunt ſuper frontem Moſis legislatoris & Regis eorundem Hebræorum.

34. ALEXANDER MAGNVS.

Et ejus duces pinguntur ſine barba, præter morem Græcorum, quia ut narrat Plutarchus, ipſe mandabat Macedonibus ſuis, ut radi curarent ipſorum barbas

barbas, alioquin faciles hostibus ad prehendendum. Inveniuntur Philippei, moneta aurea Philippi patris hujus Alexandri, vultu barbato. Hæc consuetudo radendi recepta est & usurpata Romanis, donec Hadrianus primus incepit nutrire barbam. Hæc sculptura in amethysto est ingentis formæ.

35. PTOLOMÆVS.

Hæ duæ sculpturæ exhibent duos PtolomæosCleopatræ fratres, utrumque ætate juvenili. Primus occidi curavit Pompeium, & hic postea occisus ab Cæsare, ut affirmat Strabo.

36.

Secundus, de quo manifestius constat, in parte regni positus est cum sorore ab illo ipso Cæsare, quum esset admodum juvenis, ut etiam in nummo Græco apparet addito ipsius nomine, & aquila in aversa parte.

37. PTOLOMÆVS APION.

Hic vultus convenit alteri apud Fulvium Vrsinum, qui præterea fronti impositam habet herbam, laserpicium vel silphium, symbolum Cyrenæorum. Sed in hoc meo vario lapide melius apparet formosa coma, calamistrata ad modum radiorum, sicut in pictura Deæ Isidis. Caput est coloris oleagini, & capillus nigri.

38. CAPVT IGNOTVM.

Sed notabile ob rationem sculpturæ cum capillis

non multum diſſimilibus præcedenti illi Ammonis Alexandri.

39. MASINISSA.

Rex Numidarum comparatus eſt cum rariſſimo ſardio dactyliothecæ Barberinæ, ubi idem rex ſculptus eſt ſedens, cum tribus filiis ante ipſum: ex quibus duo videntur frangere virgulam, adſcripta illic vulgata ejus ſententia UNITAS FORTIS, DIVISIO FRAGILIS. Quin etiam hanc faciem firmant characteres Punici, & tonſura barbæ; præterquam quod appareat ætate ſenili, utpote qui dicitur octogenarius genuiſſe filios. Et ob hanc cauſam opinarer illic ſculptam Venerem ἀφροδίτην, teſtante Strabone Numidas vehementius quam alios barbaros proclives eſſe ad delicias Venereas. In apice galeæ eſt canis, prout is narratur habuiſſe ferociſſimos canes ad corporis ſui cuſtodiam. Biga procul dubio denotat celebrationem ludorum ab hoc rege editorum: & equus marinus eſt ſymbolum Neptuni, quum Numidia ſita ſit prope mare Africanum, ubi eſt ſinus Numidicus, & ejuſmodi equi ac monſtra marina occurrunt in nummis multarum Siciliæ civitatum, quum & hæc ſit ſuperimpoſita mari.

40. ANTINOVS.

Sculptura Antinoi, præterquam ex literis ANTINOUS, nota eſt ex ſtatuis & nummis Græcis cum titulo Herois, ut honoravit eum Hadrianus mortuum.

41. MI-

41. MILES.

Hanc faciem reor esse alicujus Græci herois, quia nudus est & capite galeato, ut conspecti sunt Achilles & Diòmedes ex more istorum Græcorum, qui nudos fingebant heroas.

42. NVMA POMPILIVS.

Conspicitur in antiquis argenteis nummis, habens in diademate regio scriptum, NVMA, ex quorum auctoritate exploratur & confirmatur hæc effigies.

43. L. JVNIVS BRVTVS.

Fuit primus consul & auctor libertatis Romanæ. Facies ejus comparata est cum nummo argenteo, in quo est facies ipsius hujus Bruti, cum literis BRUTUS. Qui nummus creditur cusus esse temporibus Marci Bruti percussoris Cæsaris, in prioris memoriam, & eodem tempore credi posset sculptus fuisse hic sardius, cujus magnitudo est summa.

44. CAJUS SULPICIUS.

Multi ex familia Sulpicia habuerunt prænomen Caii, etiam aliqui fuerunt consules, ut C. Sulpicius Paterculus, qui triumphavit ex Africa & Sardinia, estque verisimile, hanc raram imaginem in gypso smaragdino & magnam fuisse in alicujus posterorum familiæ Sulpiciæ annulo, ut mos erat Romanorum multum gloriari imaginibus majorum, quæ erant testimonium eorum nobilitatis.

45. CN.

45. CN. POMPEJUS MAGNUS.

46. C. JULIUS CAESAR.

Imago Julii Cæſaris in ovata lapidis Chalcedonii figura, multo major reliquis, notabilem habet lauri coronam, quod intertextas habeat frondes palmæ ſuper frontem, quæ notant ejus magnas & æternæ laudis victorias. Hæc imago poſt mortem Julii ſculpta fuit, quum adſit ſtella, in quam transformatus dicitur., & lituus, ſolenne auguratus ſymbolum. Supra pectus gerit ægidem Palladis; qui mos armaturæ & ex Græcorum conſuetudine adornandi ſe placuit poſtea cæteris Romanis Imperatoribus.

47. C. JULIUS CAESAR.

Hæc altera Cæſaris effigies artificioſe ſculpta in ſardio, cum lauru, ſtella & lituo, a me hic relata eſt, non tantum ob inſignem pulchritudinem, ſed etiam ad efferendam gratam meam voluntatem, quam debeo D. Matthiæ Bagninio, qui proximis annis liberaliſſime illam mihi donavit, vinctam annulo aureo. Sed & eadem opera profiteor me multas ob cauſas eidem obſtrictum, & pariter glorior ejus tum amicitia, tum affinitate, qua illi conjunctus ſum præter merita doteſque inſignium virtutum, quæ eundem tantopere commendant Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D. Flavio Chiſio, fratris filio Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII, ad cujus miniſterium ille admotus eſt.

48. AV-

48. AVGVSTVS.

Cum Capricorno & Delphino. Capricornus (ut notum est) fuit horoscopus Augusti: Delphinus insigne & sigillum ejusdem. Caput juvenile exhibere potest eundem Augustum vel potius aliquem ex ejus nepotibus aut posteris, qui sibi felix omen cecinerunt in hoc fausto signo. Reperitur nummus Græcus Cæsaris cum capite Lucii & Capricorno in aversa parte; sed hic mihi videtur potius esse Cajus, ut patet ex imagine Ursini. Capricornus & Delphinus sunt signa cœlestia.

49. AVGVSTVS.

Pulchrum Augusti caput laureatum in hiacyntho repertum fuit in ruderibus Cataneæ, quum in Sicilia morarer anno sancto Urbani VIII 1625, quo tempore in deliciis habere & colligere antiquitates cæpi. Hæc fuit prima sculptura, quæ in manus meas venit, bonum augurium in aliis dare mihi visa.

50. MARCUS AGRIPPA.

Illustris dux in expeditionibus militaribus Augusti, & parta navalis belli victoria ad Actium promuntorium contra Antonium, rostrata corona ab eodem Augusto decoratus, de qua canit Virgilius:

Parte alia ventis & Diis Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent redimita corona.

Varius hic lapis grandis est & diversæ sculpturæ.

51. TIBERIUS.

Varius lapis ingens, ab singulari artifice sculptus.

52. CALIGULA.

In sardio.

53. NERO CLAUDIUS DRUSUS.

Frater minor Tiberii. Hic quoque varius lapis grandi forma est, & facies conveniens nummo.

54. GERMANICUS.

Filius Neronis Claudii Drusi, & ab Augusto destinatus successor Tiberii, de cujus virtute & infelicitate ample narrat Tacitus. Sed & doctrinam ejus testatur Ovidius in dedicatione Fastorum.

Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda Deo.

Lapis varius cum vultu præstantis hujus & eruditi principis sculptus est summo artificio, & convenit nummo.

55. LVCIVS.

Nepos & filius adoptivus Augusti, natus ex M. Agrippa & Julia; qui confirmatur ab nummo.

BRI-

56. CLAVDIVS.

Imperator, lapide vario ingenti: caput colore cæli, cum fundo ſardonycis.

57. BRITANNICVS.

Filius Claudii & Meſſalinæ, ereptus imperio ab Agrippina, & veneno interfectus ab Nerone; de quo refert Tacitus, & auctor tragœdiæ, cujus titulus Octavia, in qua ſic defletur ejus mors.

Tu quoque exſtinctus jaces,
Deflende nobis ſemper, infelix puer,
Modo ſidus orbis, columen Auguſtæ domus;
Britannice.

Varius hic lapis præfert ſummam artis perfectionem.

58. NERO.

Imperator.

59. GALBA.

Hic ſapphirus artificioſe ſculptus cum capite Galbæ hodie exſtat penes Excellentiſſimum Virum Lælium Urſinum, principem in eruditione & bonarum artium ſcientia eximium. Huic dicavi adeo raram gemmam, ut reverentiæ meæ tributum; qui & dignam eam judicavit manu ſua, quæ præclare & calamo & penicillo operatur pari elegantia inter poeſin & picturam.

60. GALBA.

Lapis varius ſingularis artificio & magnitudine, paulo minor ipſa imagine.

61. TRAJANUS.

In hac curioſa gemma effigiatus eſt vultus Trajani ſuper modium aut frumenti menſuram, unde procedunt duæ ariſtæ in ſymbolum annonæ, qualis etiam conſpicitur in ejus nummo. Hic optimus Princeps non ſolum Romæ annonam recte adminiſtravit, ſed ſuis ſumptibus per omnem Italiam pueris puelliſque egenis alimenta dedit, ſicut Plinius in elegantiſſimo panegyrico eum idcirco celebrat, & nummi hodieque indicant. Lances libratæ denotare poſſunt cum annona juſtitiam vel pondus monetæ.

62. ANTONINVS PIVS.

Imperator, cujus effigies ſatis nota ex ſtatuis & nummis.

63. COMMODVS.

Imperator, ætate juvenili, & Princeps juventutis, ut in nummis vivente adhuc ipſo patre M. Aurelio cuſis.

64. SEPTIMIVS SEVERUS.

Imperator, capite pulcherrimo in gypſo.

65. SEPTI-

65. SEPTIMIVS ET JVLIA.

Insignis hic varius lapis custoditur a me ob duplex pretium, vel artificium, vel triplicem ipsius gemmæ colorem, cum duobus candidis capitibus & fundo superius nigro, sed vario in aversa parte, ex cœlesti azyre. Ego tamen longe eum habeo gratiorem, eo quod ad me venit ex manibus Amicissimi & Generosissimi Patroni mei, Illustrissimi & perquam Reverendi Maximi, Patriarchæ Hierosolymitani, & Apostolici Nuncii apud Regem Catholicum; qui præclarus vir, multas alias virtutes suas maximas exornat summa eruditione & rerum antiquarum cognitione; ita ut & a me accipere dignatus sit Vitellium ex metallo, cujus in altera parte est Censorii, qui ad hunc diem usque haberi solet inter nummos rariores, estque præcipuæ integritatis, qualia sunt omnia numismata ejus Patriarchæ unice & summo studio servata.

66. ANTONINUS CARACALLA.

Ætate satis juvenili, vivo etiamnum patre Septimio.

67. ELAGABALUS.

Imperator sculptura satis nitida effectus.

68. ISIS

Hic varius lapis cum imagine Isidis refert ele-

gantiam ipſius petræ, ad quam ſe flexit artifex, quum facies ipſa ſit candida, capilli colore rufeo, cum fundo ſardonycis translucido, ſic ut ſit admirabilis. Etiam capilli iſti ſunt calamiſtrati more Ægyptio, cum fructu & frondibus perſici ſuper caput & ſiſtrum: qui fructus non modo eſt typus ſilentii, ſed etiam veritatis, ut colligitur etiam ex Harpocrate & ex aliis Ægyptiis imaginibus. Fructus ille etiam cordis figuram habet & frondes linguæ, quæ utraque ſimul juncta componunt veritatem, quæ ab Ægyptiis ante omnia divina alia æſtimabatur. Dicit inſuper Theophraſtus, ab ſacerdotibus fabricata fuiſſe Deorum ſimulacra & inſtrumenta ſacris ſervientia ex ligno perſici, unde etiam faciebant phylacteria & amuleta, ſicut idem illud, quod Iſis ipſa ſuſpenſum gerebat de collo, non ſignificabat aliud, niſi vera verba.

69. MINERVA.

Triton ſculptus in caſſide Palladis refert quandam ſimilitudinem ad illos, qui reperiuntur in nummis Siciliæ cum capite hujus Deæ galeato, & inibi nunc Tritone, nunc equo & monſtris marinis. Unde facile credi poteſt, hunc achaten ex ſardonyce magno eſſe ſculptum cum inſignibus alicujus ex civitatibus ejus inſulæ celebris propter divitias, ubi multæ præcipuæ repertæ ſunt gemmæ. Dicitur quoque Pallas fuiſſe educata ab aliquo Tritone apud paludem Tritoniam, unde hæc una eſt ex etymologiis cognominis illius Tritoniæ. Herodotus autem narrat eam genitam ab Neptuno; qui inſtar Tritonis cum tridente ſculpebatur ab antiquis, eo modo, quo apparet in hac imagine.

70. PAL-

70. PALLAS.

Galeata, qualis deſcribitur ab Homero cum criſta in conum ſurgente, plane ut idem poeta deſcribit occultatam ab Achille. Ea Dea ſic armata inprimis colebatur ab Lacedæmoniis, ut mos illorum erat omnes ſuos armare Deos, & hanc ſic appellarunt Προμαχίαν. Quod attinet ad ſparſos capillos, qui & in hac & aliis ſculpturis viſuntur; iſti quoque exhibent vetuſtum eorundem Spartanorum morem, qui ſic exornabant ſuas puellas, ut Virgilius depinxit Venerem apparentem Æneæ ſub forma virginis Spartanæ.

71. MINERVA.

Alæ ſuper galeam Minervæ ſunt adſcriptæ huic Deæ, quæ cenſebatur genius aeris ſublimioris & purioris ætheris, ut declarat Macrobius in Saturnalibus, & Tzetzes in Lycophronem vult eam eſſe exhalationem, quæ facit moveri aërem. Sed etiam alæ poſſunt illi convenire, quoniam eadem fuit exiſtimata Victoriæ, cujus ſic erat alata ſtatua in arce Athenarum, vocabaturque Νίκη Παλλάς. Serpens ei fuit conſecratus in ſignum ſalutis, quippe quum eadem diceretur Ὑγεία & ſalutaris: & ſerpentibus velut miniſtris ſuis uſa eſt contra Laocoontem, unde Phidias memorabilem illam Minervæ ſtatuam ſculpſit cum haſta & ſerpente ad pedes, ſic ut dubitet Pauſanias, ſitne Erichthonius. Cæterum draco in galea apparet quaſi minans & ore aperto, ad terrorem illic fictus ex more, quo ſolebant Reges Ægyptii in armis habere capita ferarum ſculpta

ſculpta ad terrorem hoſtium, ut vult Diodorus, & Statius libro III. *Ferarum Rictibus horrificant galeas.* Propterea Zonaras deſcribens pulcherrimum Minervæ coloſſum ex ære in foro Conſtantinopolitano, dicit eam in capite habuiſſe caudam equinam, quæ incutiebat terrorem, plane ut in hoc admirabili vario lapide criſtata galea diſtinguitur ab equina cauda, cui minax ſerpens eſt adſtrictus, quali modo debuit fuiſſe coloſſus ille. Quod ad pilos equinos, illis adornabantur heroum galeæ, & talem deſcribit Homerus Teucri galeam. Romani Græcæ conſuetudinis æmuli finxerunt Romam ſub illo habitu Minervæ cum galea alata & ipſo illo ſerpente, ut apparet in multis nummis conſularibus ex argento. Caput Satyri in humero hujus Deæ poteſt alludere ad vitium rationi & ſapientiæ ſubjectum: modo non innuat pœnam Marſyæ, obſervante Pauſania ſtatuam quandam Minervæ percutientis Marſyam ob recollectas ab terra fiſtulas. Eſt hic varius lapis ſingulari artificio ſculptus.

72. MEDVSA.

Admirabiliter ſculpta ab excellenti artifice in ruſo jaſpide formæ ingentis.

73. DEIANIRA.

Aut potius Omphale, in magno ſardio: & hujus deinceps pulcherrimæ duæ integræ imagines ſequentur cum ſpolio leonino & clava veſtitæ ad morem Herculis mariti.

Talis

Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris
Ibat adhuc aptans humeris capitique leonem.

74. PSYCHE.

Quoniam papilio inter insecta renascitur ex proprio semine, ideo habitus fuit symbolum immortalitatis animæ humanæ, quæ in imagine Psychæ intelligitur; quam sic fingebant amore correptam, ut alia aliam amplecteretur, cum alis papilionis, ut videre est ex multis marmoribus antiquis. Additur papilionem esse naturæ aereæ, sic ut & aeri & vento fuerit comparatus, & existimata ipsa anima. Unde Virgilio dicitur *Par levibus ventis*, & Græcum ejus nomen ἄνεμος, hoc est, ventus, unde *exspirare anima* dicitur de separatione, quam facit illa ab corpore. De alis animæ & ejus abitu in corpora elementaria loquuntur Trismegistus & Plato tam frequenter, ut Plutarchus alas nominet Platonicas. Manus insuper symbolum est dæmonis, affirmante eodem Platone, illum ducere & reducere animas ad corpora. Quæ manus in tali statu & actu est, ut summis digitis attingat alas, & vagum ejus volatum firmet. Cæterum oritur dubium inde, quod papilio, hoc est, anima portetur & sit fusa supra pectus: quæ philosophia potius convenit Epicuro, ex cujus sententia ratiocinatur Lucretius pluribus locis.

Denique cur animi nunquam mens consiliumque
Gignitur in capite?
Consilium quod nos animam mentemque vocamus,
Idque situm media regione in pectoris hæret.

Quam Epicuri ſententiam refutat Cicero, ut etiam ex Pythagoræ & Platonis placito mens ſitum & ſedem habet in cerebro, & cupido vel τὸ ἐπιθυμητικὸν in corde. Nihilominus videtur mihi hæc imago reſpondere huic ſecundæ ſententiæ; quippe quum Pythagoras adfirmet principium animæ ſe porrigere a corde ad cerebrum. Videmus autem papilionem pectori ſuperimponere corpus, ſed divinas alas habere explicatas ſurſum verſus, quum interim manus vel potius dæmon ſublevet divinam partem & immortales alas, per quas intelligitur principatus mentis ac rationis.

75. SAPPHO.

Invenitur argenteus nummus Mitylenæus cum vultu Sapphûs. Statua hujus doctæ poetriæ erat Athenis prope alteram Anacreontis. In hac mea ſculptura, per ſummam induſtriam facta in rufo ſardio, præterea ſunt duo rami laurei, efficientes circulum, & coronant vultum ejuſdem Sapphûs, quæ numeratur inter novem lyricos celeberrimos in Græcia. Et quamvis nonnulli poetæ Græci veteres ſcripſerint elegantiſſima epigrammata in honorem ejus imaginis, tamen ſufficiet mihi hîc unum annotare Leonis Allatii, in cujus facundia hodie Romæ reſonant ſuaviſſimæ Muſæ Atticæ, per ipſum ex Græcia in Latium translatæ.

Εἰς τὴν εἰκόνα Σαπφοῦς.

Κλωθοῖ δῶκε λίνον Λάχεσις, Κλωθὼ δ' ἐπιδίνει,
Μετροῦσαι Σαπφοῦς φῆμιν ἐφεψομένην.
Ἄτροπος ὀχθήσασα λίνου κλωστῆρας ἀρᾶται,
Σαπφοῦς, φᾶσα, χρόνοις οὐχ ὑπόειξε μίτος.

OLYM-

76. OLYMPIAS.

Refert Plutarchus puellas Macedonicas vetusto more celebrasse Orphei & Bacchi cerimonias, portando serpentes & corollas, & Olympiadem Alexandri matrem diligentius præ aliis eas frequentasse, quod videtur conspici in sculptura hujus reginæ diademate & corona ex vitis frondibus ornatæ. Præterea apparet felix & pulchra industria in hoc vario lapide, ut non sit remota ab ætate Alexandri: cui etiam similis valde est, ut & reliquis Alexandri imaginibus. Hoc insuper statuis ejus Alexandri convenit, quæ coronabantur hedera; ex quibus una gestata fuit in solenni festo Ptolomæi, ad modum bacchantis coronata.

77. SEMIRAMIS.

Sapiens fuit & magnanima Darii filia, quæ ad ulciscendam mariti mortem arma sumpsit, & victrix ab Armeniis reversa est. Reges Persiæ gestabant ejus faciem in galeis, ut scribit Polyænus, formatam capillis sparsis super humeros, prout ipsa solebat adornari, & talem quoque descripsit Philostratus in Iconibus suis. Manu tenet parazonium indicium bellicæ fœminæ, & facies habitusque prodit aliquid virile, plane qualem se ostendebat Assyriis, ut narrat historicus Justinus, & cantat Claudianus *Prima Semiramis astu Assyriis mentita virum.* Lapis varius accedit ad dimidium magnitudinis, quæ est in impresso, vultu candido, fundo sardonycis, rarissimo genere.

78. CLEOPATRA.

Est icuncula grandis; quod ad faciem in achate vario, qui transit in livorem & colorem carneum per brachia & nudum pectus, in quo perlucet sanguis impurus & veneno infectus. Capillos habet rubeos ad vivum, & pallam flavam, ita ut per colorum convenientiam sit hæc icuncula curiosissima.

79. CLEOPATRA.

Faciem habet simillimam reliquis hujus reginæ antiquis imaginibus. Inter comas ejus apparent nonnullæ baccæ hederæ, prout aliæ imagines M. Antonii occurrunt coronatæ vite tanquam Bacchi.

80. REGINA.

Peregrina, sculpta in vario lapide grandi, capite rufo, fundo candido, artificiosæ sculpturæ.

81. AGRIPPINA CLAUDII.

Ab hodiernis appellata Agrippina minor, filia Germanici, quæ ad imperium evexit filium Neronem, notissima ex historiis. Sculptura est in magno sardio perquam industrie elaborata.

82. CAPUT IGNOTUM.

83. LUCRETIA.

Romana se occidit, transfigens pectus propter in-

injuriam ab Tarquinio illatam. Sculptura est in gypso smaragdino.

84. AGRIPPINA GERMANICI.

Major. In facie hujus generosæ fæminæ eminet quædam virilitas & ferocia, unde in suspicionem Tiberio venit, & infeliciter mori coacta cum Germanico conjuge. De his reperiuntur elegantissimi nummi, cusi ab filio Caligula, qui memoriam ejus restituit. Porro officii mei est in hac parte consignare exemplum liberalitatis D. Cardinalis Francisci Buoncompagnii, Archiepiscopi Neapolitani, dum vixit, meique prisci fautoris, qui per Romam Italiamque jussa fieri collectione nummorum paulo rariorum, & sculpturarum, & variorum lapidum, reperit hunc ipsum Agrippinæ vultum mirifica arte sculptum in chrysolitho, de cujus intellectu abunde statim illi satisfeci. Propterea insigni liberalitate & præter omnem meam exspectationem donavit me centum scutatis aureis. Exstat autem hodie hæc gemma cum aliis vetustatis reliquiis penes Illustrissimum & maxime Reverendum D. Buoncompagnium, Archiepiscopum Bononiensem, verum virtutis tanti patrui æmulum & successorem.

85. POPPAEA.

Moris erat Romanis, præcipue in epulis, circumdare crines variis floribus, sed maxime rosis; quæ inter convivales coronas præferebantur, continentes subsidium contra ebrietatem, perinde ut hedera, vim

 credi-

creditæ habere refrigerandi, atque etiam propter ſpeciem earum ac delicias. Hinc in maxime opiparis conviviis mulieres & viri frontes ſuas & pectora, etiam ipſos calices ac toros roſis adornabant. De quo videri poſſunt Seneca, qui hos mores arguit; Plutarchus in Quæſtionibus convivalibus, & ex poetis Horatius multis locis. Quod ad vultum Poppææ attinet, forſan apparebit diſſimilitudo in poſitione capillorum, qui ſunt longiores & allevati ſupra frontem, colore & ſplendore inſtar electri a Nerone laudati, ut refert Plinius. Sed quia penes me nummus eſt Neronis Græcus cum ejuſdem Poppææ vultu ad hanc ſculpturam proximè accedente, judicavi ita eam cognominandam.

86. SABINA.

Alius vultus Sabinæ, coronatæ roſis, admonet me alterius moris in feſtis Bonæ Deæ, quæ dicebantur Floralia tempore verno, quo etiam matronæ roſis ſe coronabant, & ſolenne illius Deæ ſacrum caſte obibant, ut fecit Sabina, fœmina caſtitatis gravitatiſque præcipuæ.

87. FAUSTINA ANTONINI MAJOR.

88. FAUSTINA MARCI AURELII MINOR.

89. IULIA AVGVSTA.

Uxor Septimii Severi; varius lapis paulo minoris magnitudinis, quam hæc figura.

90. CA-

90. CAPVT IGNOTVM.

Cum ridiculo & novo capitis habitu ac ornamento.

91. CAPVT IGNOTVM.

In lapide vario.

92. BACCHANS.

Præter coronam ex hedera bacchantes caput frontemque circumdabant vitta, hoc eſt, faſcia ejuſmodi, qualis hic ſculpta conſpicitur. Apud Athenæum ſcribit Ariſton, veteres ad curandum dolorem capitis ex vini crapula, vinculo aliquo tempora ligaviſſe, & poſtea eum morem tranſiiſſe in ornamenta coronarum. In hoc formoſo capite ſculpto in gypſo, etiam cognoſcitur uſus faſciæ & coronæ: & in feſtivitate illa Ptolomæi inter reliquos apparatus erant coronæ & vittæ, pendentes ex ſarmentis vitium & hederarum, quæ umbram faciebant ſimulacro Bacchi. Sed non ſolum in Bacchanalibus, verum etiam in feſto Matris Deum mulieres coronabantur hedera & pampinis & thyrſum gerebant. Juvenalis Romanas fæminas, quod eadem licentia uterentur inter bacchantes, reprehendit.

Aſt aliæ quoties aulæa recondita ceſſant
Et vacuo clauſoque ſonant fora ſola theatro,
Atque a plebeis longe Megaleſia, triſtes
Perſonam thyrſumque tenent & ſubligar Acci.

93. BA-

93. BACCHANS.

De variis coronis ex hedera & vite usurpatis per Bacchanalia, vide Plutarchum in quæstionibus convivalibus, & Athenæum, quas censuerunt esse remedium contra ebrietatem, etsi Eustathius interpretetur esse indicium libidinis.

94. BACCHANS.

95. BACCHANS.

96. BACCHANS.

Inter multa alia vocabula bacchantibus tributa, fuerunt etiam appellatæ Mænades, ἀπὸ μαίνεσθαι, hoc est, infatuari, furere & sic instinctum incedere capillis sparsis. De fascia, frontis illarum vinculo, dictum antea. Sculptura in gypso æquat magnitudine dimidium hujus figuræ, & mirabili artificio.

97. BACCHANS.

Aliud vocabulum bacchantibus datum derivabatur ab pellibus ferarum & animalium, quibus indui in orgiis & sacrificiis illæ solebant: unde vocabantur Nebrides, ut est indicatum in imagine Fauni; quæ pelles servire videbantur ad inferendum terrorem. Hæc bacchans in carchedonio zapphirino habet caput ac reliquum truncum exstantem, paulo minori magnitudine. quam est figura.

98. BACCHANS.

Sic qui initiabantur & conſecrabantur Baccho, operiebant ſe præcipue exuviis caprarum, ut videmus in hac imagine, & ſignificat Clemens Alexandrinus, *Nebridarum familiam pellicula cohoneſtavit hinnulæ, quæ ſacrabat eos. Qui ſeſe ad myſteria parabat, hinnuli pelle contectus erat.* Amethyſtus eſt magnus.

99. CAPUT IGNOTUM.

Quod inſculptum eſt ſardio maxima artis induſtria. Reperitur imago Leandri eodem in habitu & forma, unde hæc, quia eſt facies fœminæ, a nonnemine credita eſt exhibere Herô ab Leandro iſto amatam.

100. LARVAE.

Bacchanalïa Silenorum, luſus ſcenæ fuerunt dedicati Baccho, qui fuit eorum auctor, æque ut dramaticæ poeſeos & muſicæ theatralis, quæ, ſicut diſtinguit Scaliger, dividitur in ſatyricam & in sillos, ab Silenis & Satyris Bacchi comitibus. Duæ larvæ hujus ſardii conveniunt altera Sileno propter calvitium & ſimum naſum, altera Satyro ex barba & vultu caprineo. A poetis vero chori Satyrorum & Silenorum conſtituti ſunt & introducti in actus, unde ſummopere delectabatur populus, ſic ut finxerint Bacchum tunc vivere in feſtis, ſaltantem cum ipſis, & jocantem tam geſtibus, quam dicteriis. Unde in ſacris ejus Dei & circa ejus ſtatuam ſuſpendebantur

 lar-

larvæ comicæ & ridiculæ rusticorum numinum & satyricorum, ut narrat Callixenus Rhodius apud Athenæum.

101. PERSONA SCENICA.

Hæc est alia larva Silenorum scenicorum, cum barba calamistrata more Ægyptio

102. PERSONA SCENICA.

Cum rictu & hiatu oris terribili fuit propria comœdiæ Latinæ, ubi usitatissima in personis comicis & præcipue servorum, prout exhibetur Davus in imaginibus antiqui Terentii bibliothecæ Vaticanæ. Larva autem dicebatur deductâ etymologiâ ab Laribus per imaginarium & vanum terrorem, quem adferebat ejus conspectus, quod suaviter innuit Juvenalis,

Personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

& Martialis.

Sum figuli lusus, Rufi persona Batavi,
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Lucianus in dialogo de saltatione ampliter describit hoc larvæ genus. *Turpe & minime jucundum spectaculum, homo longitudine deformi atque incomposita exornatus, altis calceamentis ingrediens, caput larva minaci obductum habens, tum peramplo ore hiante, quasi spectatores devoraturus.* Iste hiatus, puerulorum terror, in comœdiam inductus, augebat sonum vocis

vocis cavitate illa, & ab hoc ſono crediderunt quidam ab Latinis larvas appellatas eſſe Perſonas.

103. PERSONA.

Symbolica depingens ſomnum, quam adornant papavera, flores ſomniferi. Velamentum formatum eſt & inſtructum quaſi mitra vel pileo cum vaſe aquæ ex Lethe, quia humor ex corde adſcendens & ab cerebro frigefactus parit ſomnum. Adſunt duo cygni, quoniam quum in reliquis omnibus ſomnus morti ſit ſimilis, hic ales præſagiens bonum, quod ex morte capitur, tunc cantat ſuaviſſime. Omnia hæc ſymbola referri ad ipſam mortem poſſunt, figuratam in urna vel olla cinerum, intus habente papavera æterni ſomni

Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Cygni ſunt convenientes morti volucres, ut Cicero diſcit ab Socrate, qui quum jam jam eſſet exſpiraturus, dixit amicis: Vos me exiſtimatis minorem cygno in prædicendo; qui finem ſuum præſentiens, auget cantum, ſe promptum & alacrem oſtendens migrationi ad Deum, cujus eſt miniſter.

104. VERITAS.

Ex ore hujus imaginis pendet fructus perſeæ, quod quia fructum ſimilem habet frondi, habitum fuit pro ſymbolo veritatis, ut fuit annotatum ſupra in figura Iſidis. Magnitudo varii hujus lapidis æquat dimidiam hanc imaginem

105. TEMPUS.

Dicitur Jovem Saturno patri catenas dediſſe ob cauſam regni: quin etiam Romani fingebant hunc Deum cum cippis vel compedibus ligatum, reſolvi ſolitis in feſto ipſius per menſem Decembrem ad memoriam felicitatis, qua fruiti ſunt homines ſub ipſius legibus. Statius Silv. 1.

Saturnus mihi compede exſolutus,
Et multo madidus mero December.

Macrobius cauſam ex natura rerum petit. *Vinctum autem quod certa lege naturæ connexa ſint tempora, vel quod omnes fruges quibuſdam vinculis nodisve alternentur.* Unde vinctus Saturnus vel tempus præcipue reſpicit nodum, qui ſimul connectit ſecula, annos tempeſtateſque, quæ mutari & volui nequeunt vel tardiores vel velociores. Cæterum philoſophi ſtatuerunt tempus eſſe menſuram motus; quod licet in hac figura appareat incurvum & feſſum, nihilominus habet alas, volat & fugit momentis omnibus.

106. JUPITER.

Cum haſta & fulmine, qualis frequenter occurrit in nummis cum diverſis inſcriptionibus, JOVI TONANTI. JOVI STATORI. JOVI VICTORI. JOVI CONSERVATORI.

APOL-

107. APOLLO.

Ipse Deus vatum palla spectabilis aurea
Tractat inauratæ consona fila lyræ,

ut hanc imaginem describit Ovidius. Mulier quæ super pateram offert puerum, Pythia est vel sacerdos ex antiqua religione Cretensium, qui ex voto obstricti erant quotannis illi Deo offerre primitias humanas. Idem votum postea celebraverunt Athenienses liberati ab Minotauro. Similis consuetudo obtinebat usque ad ætatem Plutarchi, ut ipse scribit in vita Thesei, in ornatissima navi mittentibus eisdem Atheniensibus Delphos pueros suos in memoriam liberationis, sicut etiam in Phædone refert Plato.

108. GANYMEDES.

Descriptus est ab Virgilio, unde sufficiet referre ipsos hujus poetæ versus imagini congruos

Intentusque puer frondosa regius Ida
Veloces jaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis, quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

Vas denotat ambrosiam, quam Ganymedes miscet Jovi, & est signum Aquarii.

109. HERMERACLIDES.

Statua Herculis, quæ circa medium deorsum desinit in truncum quadratum Mercurii, exhibet duos

hos Deos conjunctos, & ab Athenæo appellatur Ἑρμηρακλῆς, quia Ἑρμῆς Græce notat Mercurium, Ἡρακλῆς Herculem. Similes ſtatuæ grandes ex marmore non affabre factæ reperiuntur, quæ in confiniis agrorum & viis collocatæ erant, quia Hercules ſimul cum Mercurio erant Dei Viales & Terminales, & inprimis clare id colligitur ex epigrammate Leonidæ in Ἀνθολογ. lib. I.

Qui ob hanc properatis viam; ſive ad agros
Ex oppido, ſive ab agris tenditis ad urbem,
Nos terminorum cuſtodes duo Dii, quorum hic quidem Mercurius
Vt vides me, hic autem Hercules.

In eadem prorſus imagine colebantur Hercules & Mercurius in palæſtris, quarum erant præſides, quod declarat Phornutus ſignificare fortitudinem ratione ſociatam. Unde affirmat Ariſtides, illos pro amicitia & conjunctione ſua in omnibus negotiis ſemper fuiſſe junctos & formaſſe unam ſtatuam. Hermeraclidæ palæſtrarum inveniuntur perpulchre fabricati in eximiis marmoribus: ſed hæc icuncula eſt in gemma carchedonii zapphiri, plane eadem magnitudine, quam habet figura; quin etiam vidi Hermeraclidas ſardiis inciſos, quos in annulis gerebant athletæ.

110. HERCVLES ET EVRYSTHEUS.

Euryſtheus durus appellatur ab Virgilio propter aſpera imperia, quippe qui Herculem periculoſis expeditionibus objecit. Qui quidem Hercules (ut liquet

liquet ex hac imagine) Eurystheo rationem reddit athlorum suorum. Cæterum quia in hac figura apparet Hermes vel meta super certas rupes, venio in memoriam antiqui commeantium moris, qui consecrabant saxa & petras Herculi & Mercurio vialibus Deis, ut ostendit doctissimus Aleander in tabula solis, in qua super petrarum cumulum sculpta sunt clava & caduceum.

111. HERCULES LEONTOPHONOS.

Appellatus a Græcis occisor Leonis, quod fuit primum athlum Herculis. Archias.

Non amplius taurivori gravem rictum leonis
Formidate agricolæ, pastores, Nemeæ.
Certe enim ab Hercule optimo certatore cecidit domitus
Cervicem feras occidentibus strangulatus manibus.

Hercules autem in juvenili sua ætate prius occiderat alium leonem; qui devorabat armenta patris Amphitruonis. Ideo in imagine, etsi suffocet Nemeæum, portat in dorso pellem primi leonis, qualis conspicitur in statuis antiquis Herculis juvenis, ut memorat Tzetzes, nati circiter annos XVIII.

112. JOLE.

Ovidius in Fastis lepidam narrat fabulam de Hercule ad fœminæ modum amicto vestibus Joles, unde Faunus Deus deridebatur.

113. Sed

113.

Sed ad ſcopum hujus imaginis tantummodo memoraſſe ſuffecerit verſus iſtius poetæ ex epiſtola, quam marito Herculi ſcripſit Deianira, infamans Jolen depictam cum clava & ſpoliis Leonis.

O pudor! hirſuti coſtis exuta leonis
Aſpera texerunt vellera molle latus.
Falleris, & neſcis: non ſunt ſpolia iſta leonis
Sed tua: tuque feræ. victor es; illa tui.
Femina tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lana vix ſatis apta colum.
Inſtruxitque manum clava domitrice ferarum,
Vidit & in ſpeculo conjugis arma ſui.

Qui locus præclare expreſſus eſt ab Torquato Taſſo.

Mira-ſi Jole, con la deſtra imbelle,
Per iſcherno trattar l arme homicide;
E portá l cuoio di leon, che ſembra
Ruvido troppo a ſi tenere membra.

114. TRES GRATIAE.

Tres Gratiæ invicem amplexæ uno nodo deſcribuntur ab Claudiano

Idaliæ juxta famulæ triplexque viciſſim
Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.

In hac imagine ſub ſimilitudine trium Gratiarum ſunt tres Deæ, Pallas, Juno & Venus, ſignificantes tria maxima vitæ bona, ſapientiam, pulchritudinem, & opes, ſuntque hæc tria dona ſuprema ac divina, ſic invi-

invicem ſociata, ut nequeant eſſe diſjuncta, neque alterum ſine altero poſſideri. Statuunt philoſophi bonum & pulchrum eſſe plane unum idemque, & ſapientem ſolum poſſidere divitias, juxta doctrinam Platonis & votum Socratis in Phædro, *O amice Pan & alii omnes, qui locum hunc colitis, Dii, date mihi, ut pulcher intus efficiar & quæcumque extrinſecus habeo, intrinſecis ſint amica. Divitem autem ſapientem ſolum exiſtimem.*

115. VENUS COELESTIS.

Alæ ſunt Veneri attributæ, ut pote amorum potenti numini, ſignificaturæ innatum procreationis deſiderium, quia etiam eadem amori res eſt, ut demonſtrat Lucretius.

Namque voluptatem præſagit multa cupido:
Hæc Venus eſt nobis, hinc ductum nomen amoris.

Etiam eſt penes me pulcherrimus ſardius paulum ruptus, cui inſculptus eſt vultus Veneris cum alis in ſummitate dorſi, & ad latus ibidem eſt telum, ab eodem Lucretio & Græcis poetis in pluribus locis ſagitta Veneris appellata. Simile conſpicitur in nummis Julii Cæſaris, ſed ſine telo, & credidere nonnulli eſſe Venerem Victricem. Si quis tamen volet conſiderationem Veneris vertere ad res cœleſtes & naturam, potius dicet convenire illi alas, quod ſit ſpiritus puri aeris in ſuprema regione elementorum cœleſtium, ut indicat Macrobius: & quoniam hæc Dea eſt virtus, quæ ſe movet ad fæcundanda omnia tempore veris,

quæ ab ipſo illo Lucretio vocatur *genitabilis aura.* Quod ad libum, quod præbet illa Cupidini, inde probari videtur amorem ſeſe paſcere & potentem eſſe dono pulchritudinis, unde Horatius,

O crudelis adhuc & Veneris muneribus potens.

116. VENUS ET AMOR.

Narrat Pauſanias Sicyonios habuiſſe ornatiſſimam & ditiſſimam ſtatuam Veneris ex marmore & auro compoſitam, quæ pomum tenebat manu alterâ, alterâ papavera. In hac ſculptura eadem Dea porrigit Amori papavera, typum fœcunditatis, quæ ſequitur amantium gratias, quia hic flos eſt plenus ſeminis & fertilis. Ovidius lib. 2 Met.

Ante fores antri fœcunda papavera florent.

Etiam mihi videtur, ab papavere denotari ſomnum ſocium amoris, & ſic in Jovis ac Junonis concubitu eum vocat Nonnus.

Et Jovis oculos mulſit comes ſomnus amorum,
Ut mollis dormiret in floribus oblectatus Jupiter.

Præterea Virgilius cum Venere jungit poſt amplexus Vulcani,

Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infuſus gremio per membra ſoporem.

Sic ſomnus eſt ſocius, & ſequitur Venerem & Amorem.

117. VENUS VICTRIX.

Similis imago Thetidis cum galea & ſcuto prima conſpecta eſt in averſa parte nummi Græci Achillis, & deinde in aliis Iulii Cæſaris & Auguſti, quaſi Venus & Thetis ferrent arma ab Vulcano fabricata in gratiam Æneæ & Achillis. Et hæc imago VICTRIX fuit teſſera vel ſignum ejuſdem Cæſaris in bello contra Pompeium, unde Propertius,

Vexit & ipſa ſui Cæſaris arma Venus,
Arma reſurgentis portans victricia Trojæ.

Eadem hæc imago reperitur in nummo Iuliæ Titi, cum literis VENUS AUGUSTA, ſed in illo Juliæ Domnæ diſerte eſt VENERI VICTRICI. Quod ad aſtronomica hujus imaginis ſymbola, Venus tenet arma Martis, hoc eſt, eum adſpectu ſuo mitigat & vincit. Quando igitur hic Deus dominatur in nativitate hominis & horoſcopus eſt, facit eum proclivem ad iras. Sed ſi Venus ei eſt vicina, illa reprimit iſtum impetum & facilem iraſci indolem, ac benignum reddit. Docet Macrobius in duodecim cœleſtibus ſignis taurum Veneris ſuccedere arieti Martis, eandem ob cauſam, quod nempe illa Dea dulcedine ſua facit eum manſuetiorem.

118. VULCANUS.

Cudit arma Achilli & Æneæ, ut dictum eſt in præcedente imagine, ad modum deſcriptionis Homericæ & Virgilianæ;

Fecit ei galeam, fortem, temporibus aptam,
Pulchram, variegatam, supraque auream cristam posuit.

119. DIANA EPHESIA.

Cujus hæc imago est artificiosissima, quippe quæ formatur in habitu Isidis Canopeæ, unde in locum istarum tot mammarum posita est in hydria aut vase aquali, ita ut caput & pedes promineant ad similitudinem Canopi, ex causa lunaris potentiæ super humidum elementum. Quapropter Diana appellata fuit Dictynna, & Plutarchus eam nominat Venatricem & Marinam. Præterea loco earundem mammarum, quæ sunt argumentum humoris animalia generantis, hæc Dea circumcincta est septem fasciis vel lunaribus orbibus, in quibus ad speciem gemmarum sunt innexa multa grana, quia in illis semen genitale se præparat & idoneum reddit ad generandum, utpote vita consistente in humido, quod Ægyptii constituerunt rerum principium. Idem aquæ elementum indicatur per candelabra ad instar tridentium, ut in aliis statuis Dianæ tridentiferæ pro candelabris expressus est ipse Neptuni tridens. Nosse tamen oportet, Dianam, Isidem & Deam Syriam habuisse fere unam imaginem communem, ut & cerimonias, quod docent Macrobius & Lucianus. Corona quoque turrita ostendit hanc eandem esse Cybelæ, unde Martianus Capella loquens de orbe lunari scribit; *In eo sistra Niliaca Eleusinaque lampas, arcus Dictynnæ, tympanaque Cybeles.* Velum, quo operitur caput, notat umbras noctis, quibus obductus est aer,

&

& cervi designant velocitatem cursus, qui XXVII diebus peragitur.

120. DIANA.

Interdum figuratur nuda, interdum vestita, ex diversitate lunæ, quæ modo se nobis præbet universam & claram, modo sine lumine, & se abscondit: & ideo dicit Homerus in hymno illam vestire se & spoliare rursum lucidis vestimentis. De cervo dictum est in præcedente imagine.

121. SPES.

In nummis frequens satis est ejus imago, sed in meo onyce etiam sculptæ sunt spicæ, pendentes retro ex manu, ut indicetur proprie dicta *Spes frugum.* Unde Tibullus.

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

Horatius: *Spem mentita seges.* Et Manilius lib. V Astron.

Nec solum terræ spem credit, inania vota,
Arvorum ingenerat studium, rurisque colendi
Seminaque in fœnus sulcatis reddere terris
Usuramque sequi, majori sorte receptis
Frugibus innumeris.

122. CERES.

Cum spicis & papaveribus in manu describitur a poetis Græcis. Theocritus.

Et ipsa rideat manipulos & papavera utraque manu gestans.

& Callimachus,

Floreas coronas & papavera manibus tenens.

Etiam ex donis, quæ huic Deæ offerebantur, papaver fuisse acceptissimum habitum scribit Clemens Alexandrinus, unde Virgilio id dicitur *Cereale papaver.* In fabulis multa narrantur de isto flore, qui ab Cerere gustatus famem levavit, & per somnum abstulit memoriam ærumnæ in rapta filia. Ovidius 4 Fast.

Illa soporiferum parvos initura penates
Colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.

Sed & somnus valde opportunus nutrimentis facit oblivisci malorum; etiam huic Deæ illud sacratum est, quia papaver est rotundum ad similitudinem terræ continentis in se innumera distincta semina, cum symbolo fertilitatis, ut in figura proxima Veneris & Amoris est annotatum.

123. FORTUNA.

Cornu copiæ indicat omne bonum felicitatemque esse in manu Fortunæ. Gubernaculum navis item notat penes illam esse mundi regimen, ut apparet etiam in aliis ejus nummis, ubi ipsum illud guber-nacu-

naculum eſt globo alligatum. Refert Pauſanias prope flumen Iliſſum fuiſſe ejus templum & ſtatuam Fortunæ gubernatricis rerum omnium ; etiam alia fuit Athenis, Philoſtrato memorata. Primus, qui ſub hoc ſymbolo ſignificavit Fortunam, fuit ſculptor Bupalus. Sed Juvenalis de hac melius, quam illi, opinatus eſt.

Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam cœloque locamus.

124. LIBERTAS.

Virga & pileum, quæ duo Libertas Dea habet in manibus, refert morem vetuſtum in ſervis manumiſſis, capiente lictore virgam, quæ vindicta dicebatur, & percutiente caput illius ac tergum. Servus tum operiebat caput pileo, & liber fiebat. Elegantiſſime ad hoc Claudianus in conſulatu Honorii.

Te faſtos ineunte quater ſolennia ludit
Omina Libertas, deductum a Vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu.
Triſtis conditio pulſata fronte recedit;
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera promiſſi felix injuria voti.

Sed hic me revoco ad antiquam in ludis Romanorum conſuetudinem, quum populus volens favere egregiis gladiatoribus & ſimilibus theatro addictis viris, acclamaret & in libertatem eos vocaret: ac dominus ad

ad iſtas populi preces jubebat eſſe liberos. Id quod cognoſci poteſt ex vaſe cum palma, quæ utraque ſolita dari in ludis præmia, ut in variis nummis ſacrorum quinquennalium ac Pythiorum conſpiciuntur ejuſmodi vaſa & palmæ & coronæ. In quo obſervandum eſt, ſervos gladiatores liberatos ab arena & donatos rude (ut demonſtrabitur) non etiam ſimul conſequutos fuiſſe libertatem, niſi cum gemino præmio etiam ipſis datum eſſet pileum, ut diſtinguit Lipſius ex Tertulliani auctoritate. *Et qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem & pileum præmium conferat.* De palmis gladiatoriis agit Lampridius in Commodo, qui quum gladiatorem ageret, mille acceperat.

125: RUMILIA.

Appellatur apud Romanos Dea, quæ curam gerebat educationis puerorum; quod nomen derivatur ab mamma veteribus ruma dicta. In ejus ſacrificiis effundebatur lac, ut narrat Plutarchus in Romulo. In ſimili figura conſpicitur tum in aliis nummis, tum in averſa parte nummorum Fauſtinæ Dea Fœcunditas cum duobus infantibus ad pectus, item Venus Genitrix, & Juno Lucina.

AMOR VICTOR.

Reportat ſpolia & tropæum ob exarmatum Martem. Quod paulo ante fuit dictum de Venere Victrice, poteſt etiam applicari huic Amori Victori,

quum

quum ſit eadem potentia; & bene huc convenire mihi videtur epigramma Philippi.

Spoliantes cœlum vide quomodo armis Amores
Ornantur, immortalium ſpolia ferentes.
Phœbi arcus ferunt, Jovis fulmen, Martis
Arma & galeam.

Amor vincit ſpoliatque Martem placando illum & adjungendo Venerem. Sic eum deſcribit Lucretius Deam invocans.

Nam tu ſola potes tranquilla pace juvare
Mortales: quoniam belli fera munera Mavors
Armipotens regit; in gremium qui ſæpe tuum ſe
Rejicit æterno devictus vulnere Amoris.

127. JOCUS.

Socius Amoris exhibetur alatus, & juxta Horatii deſcriptionem, ſimul cum Amore volans circa Venerem,

Sive tu mavis Erycina ridens
Quam Jocus circumvolat & Cupido.

Talem cum larva ante faciem oſtendunt Iocum inter Amores quædam vetuſta marmora, in quibus conſpiciuntur duo pueruli, quorum unus pulſat lyram, & alter jocatur cum larva ante vultum: adſcriptum AMOR VENUS & ſuper larvam illam vel perſonam LVSVS.

128. HARPOCRATES.

Digito os premit, in ſignum ſilentii. Ovidius eum ita deſcribit,

Quique premit vocem digitoque ſilentia ſuadet.

Cornucopiæ notat abundantiam bonorum oriri ab tacendo & loquendo opportune & cum judicio, ex ſententia ejuſdem poetæ,

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus,
Et contra gravis eſt culpa tacenda loqui.

De perſico, quod vertici hujus Dei imponitur, ſcriptum ſupra.

129. PUER.

Jocator.

130. PALLAS.

Vide ſequentia.

131. BELLONA.

Martianus Capella declarat allegoricam ſententiam armaturæ Palladis cum haſta & ſcuto & galea in capite, diviſa in tres pennas vel criſtas, armato pectore cum facie Meduſæ.

Hinc nam tergeminæ rutilant de vertice criſtæ,
Quod dux ſanguineo præſulque coruſca duello;
Vel tibi quod fulget, rapiturque triangulus ignis.

Hinc

Hinc tibi dant clypeum, Sapientia quod regat orbem,
Vel rationis opem quod ſpumea prælia poſcant.
Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen.
Lymphaſeum magis eſt, & ſcutum circulus ambit.

Et poſtea.

Pectore ſaxificam dicunt horrere Meduſam,
Quod pavidum ſtupidet ſapiens ſolertia vulgus.

132. SACERDOS BACCHI.

Dicerem hunc unum eſſe ex Silenis chlamydatis, quos deſcribit Athenæus, ſi adeſſet calvitium; ſed quoniam interdum Bacchus fuit depictus cum barba, poſſet eſſe imago ejus Dei barbata cum ferula & cantharo, ut in aliis juvenilibus imaginibus. Fingebatur Bacchus puer, juvenis & ſenex. Unde Macrobius: *Liberi patris ſimulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt, præterea barbata ſpecie, ſenili quoque.* Sic eum fingebant eundem ſoli exiſtimantes, ut ipſe ille auctor exponit, de qua re videndi Diodorus Siculus & Ulpianus in Demoſthenem. Ad hanc diverſam Bacchi ætatem convenientes legebantur in Bacchanalibus chori puerorum, virorum ac ſenum. Quod ad veſtes talorum tenus dependentes attinet, earum originem produnt Pollux & Heſychius, quum eam vocant Baſſarida ab Baſſaris urbe Lydiæ, ubi vigebat earum factura, unde Horatius ad Bacchum

Non ego te, candide Baſſareu, &c.

133. SILENUS.

Ex ſcena cum parvulo & ridiculo Satyro vel Fauno, qui circa eum ludit. Tales affirmat Philoſtratus exhiberi ſolitos in theatris inter perſonas ſatyricas: & Virgilius in illa ſua pictura jocos eorum deſcribit ſic incipiens,

Chromis & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem.

134. SACRIFICIUM BACCHI.

Ruſticus agricola ex utre vinum effundit in vas aut carcheſium Baccho ſacrum, idque ex vetuſtiſſimo paganorum ritu, qui ſingulis annis Deo Pani, Cereri & Baccho primitias offerebant uvarum ac ſegetis, conſecrantes delubra, altaria & lucos in villis ſuis & agris, ut ex Ænea Sophiſta colligitur, & Apulejus ita de illis. *Iſte vero nec diis rurationis, qui eum paſcunt, ac veſtiunt, ſegetis ullas aut vitis aut gregis primitias impertit, nullum in villa ejus delubrum ſitum, nullus locus aut lucus conſecratus.* Tertullianus lib. de ſpectaculis. *Nam quum promiſcue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeſte ſonabant: Libero enim a ruſticis primo fiebat, ob beneficium, quod ei adſcribunt, pro demonſtrata gratia vini.* In hac imagine diſtincte cognoſcitur ara inſtar columellæ, cujus moris inventor fuit ipſe Bacchus, qui Jovi Junonique muſtum libavit ex ingenti vaſe, ut colligi poteſt ex Nonno. Arbor vitis eidem vini auctori ſacra erat, eamque portabant in ipſius feſtis, & ad illius umbram elevabantur altaria ejus & ſtatuæ. Parva imaguncula, inſi-

insistens columnæ cum membro virili erecto alludit ad Ityphallicos & ad hortorum Deum agrestem, Bacchi sodalem.

135. BACCHANS.

Ad morem fæminarum furentium, quas Mimallonidas appellabant, currebant etiam viri in Orgiis, edentes inconditos motus & capillis sparsis, qualis hic apparet insaniens bacchans, vibrans ferulam & racemum uvæ. Ex brachio ejus pendet leonina pellis, & uno pede impellit ac subruit cantharum vinumque per terram. Istæ Mimallonides sic erant vocatæ ab imitatione furoris Bacchici.

Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis,
Ecce leves satyri prævia turba Dei.

Unde adducor, ut opiner in hac imagine literas ΠΕΜΑΛΛΙΟ, quasi ΜΙΜΑΛΛΙΟ esse prorsus idem pro varietate dialecti Græcæ; hoc est, imitator & Mimallon.

136. FAUNUS.

Hunc in habitu Fauni, manu exaltata, habitu gestientis, quasi vellet verbis accommodare saltationem, censeo esse unum ex choro satyrico vel potius Sillico, qui (ut dictum est) canebant dithyrambos, hoc est, versus conjunctos cum saltatione & symphonia, ut exponit Aristoteles in Poeticis. Aliæ similes figuræ, quæ in hoc libro occurrunt, pertinent ad scenam & dramaticam poesin. Non est hic omittendum, in

pompis circensibus solitum quoque anteïre chorum similium histrionum ad voluptates vulgi, ut notat eruditissimus Panvinius. Baculum incurvum, quod hic manu tenet, dicebatur *pedum*, quo pastores solebant coercere pecora.

137. FAUNA.

Jocatur luditque cum puero, eum sublevans super alterum pedem suum. Est hæc una ex fictis Faunorum personis, una cum viris eandem lasciviam adjuvans & scurrilitatem scenæ, ut dictum est. Etiam hodie videmus ab Cæretanis in publicis locis pares ludos jocosque agitari.

138. SACRIFICIUM SALUTIS.

Serpens sacer fuit Apollini & Æsculapio tanquam Genio salutis, quia quotannis renovat exuvias, atque etiam habitus fuit symbolum boni & felicis augurii (ut auctores sunt Homerus & Virgilius) in Æneæ ingressu in Italiam, quo tempore apparuit anguis circa patris Anchisæ sepulchrum, cujus apparentia agnoscebatur optimum præsagium. Etiam Valerius Flaccus ex ipsis his serpentibus faustum omen deducit incepto Argonautarum.

Dixerat, & summis frondentes contulit aris
Libavitque dapes, placidi quas protinus angues
Umbrarum famuli linguis rapuere coruscis.

In hoc autem sardio conspicitur sacrificans, qui tenet anguem vicinum altari foculo accenso, ac præterea

terea vasculum vini aut alterius liquoris, ut dicetur statim in alia figura.

139. SACRIFICANS.

Cum cultro in manu, & capite arietis sub pedem & adstante capro. Hæc pecora pro gregum diversitate Diis rusticis sacrificabantur ab paganis pro custodia & incolumitate eorum. In his ruralibus Diis præcipui erant Bacchus & Mercurius, quorum peculiares hostiæ fuerunt caper & aries.

140. SACRIFICIUM SALUTIS.

Præter ea, quæ superius dicta sunt de serpente salutifero, fuit quoque Æsculapius adoratus in forma colubri, allati ex Epidauro, quem cum Luciano sic vituperat Arnobius. *Æsculapius iste, quem prædicatis, Deus præstans, sanctus Deus, salutis dator, valetudinum pessimarum propulsor & exstinctor, serpentis est forma & circumscriptione finitus, per terram reptans, cœno natis ut vermiculis mos est, solum mento radit & pectore, tortuosis voluminibus se trahens: atque ut pergere prorsus possit, partem sui postremam conatibus prioris adducit; & quoniam legitur usus cibis etiam, quibus vita in corporibus immoratur, habet patulas fauces, quibus cibos transvoret, oris hiatibus appetitos.* Vnde in meo sardio serpens aperit fauces, ut cibi aliquid hauriat, quem sacrificulus apparatum offert & digito in patina intingit. Quin etiam in nummis Dea Salus sculpitur cum serpente in manu, revoluto ad capiendum cibum, juxta descriptiones a Vir-

gilio

gilio & Valerio Flacco factas in præcedente imagine. Fœmina nuda ex patera vergit vinum vel lac super caput arietis sacrati huic eidem Æsculapio & Saluti, utpote qui symbolum est conservationis propter insignem temperiem in signo cœlesti, ut amplius ostendetur in imagine Chimæræ.

141. SACRIFICIUM FAUNORUM.

Baccho immolabatur caper, unde is Deus in Bœotia appellabatur Ægobolos, prout refert Pausanias. Causa est, quod caper sit inimicus vitibus. Ovidius in Fastis.

Rode caper vitem: tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Horatius vult hanc hostiam esse albi coloris, utpote dedicati cœlestibus;

Voveram dulces epulas & album
Libero caprum.

142. SACRIFICIUM CALIGVLAE:

Hæc sculptura in heliotropo memorabilis est ob magnitudinem & excellentiam artificis, etsi referat indignam Caligulæ recordationem cum tribus sororibus Lucilla, Drusilla & Julia celebrantibus lasciva sacrificia ityphallica. Ideo detestans alia, tantum laudabo præstantiam artificii in figuris.

143. THA-

143. THALIA.

Cum larva comica petaſata in manibus, eſt una Muſarum, præſes comœdiarum.

144. TERPSICHORE.

Vel potius Erato cum teſtudine & lyra amabiliter ſaltat, ut deſcribit eam Virgilius,

Plectra gerens Erato, ſaltat pede, carmine, vultu.

145. CLEOPATRA.

In hoc habitu & forma conſpiciuntur imagines Cleopatræ mortuæ, vultu declinante ſuper alterum brachiorum. Sic in meo ſardio oſtenditur languens; & in alia ſimili figura expreſſus eſt ſerpens circumdatus brachio.

146. LUCTATORES.

Cum duobus his pueris ſculptus illic eſt pædotriba vel præfectus luctæ virgam manu tenens, eoſque docens brachiorum & aliorum membrorum motus. Hoc palæſtræ exercitium proprium erat puerorum nobilium, ut adfirmat Terentianus Parmeno.

Fac periculum in litteris, in palæſtra, in muſicis:
Quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem.

Memorat Plinius Silanionem, qui depinxerit Epiſtaten exercentem athletas.

147. AUTUMNUS.

Juvenis alatus, cui ſimiles in antiquis marmoribus conſpiciuntur alatæ tempeſtates, volantes cum tempore, tanquam quatuor adoleſcentuli vel pueri. Hujus brachio alligatum eſt caniſtrum pomis & herbis plenum, ab altera ejus manu pendente anate, ave aquatica, quæ nihilominus apparet ſculpta in manu etiam ad ſymbolum hiberni temporis, quaſi poſſet in hac figura notari utraque tempeſtas inter harum confinia.

148. HORAE.

Adſtant portis cœli, ut finxerunt poetæ, interdum adducentes nebulas, interdum facientes aerem ſerenum. Homerus.

Sponte portæ crepuerunt cœli, quas cuſtodiebant
Horæ,
Quibus commiſſum eſt magnum cœlum Olympuſque.
Ut & aperiant denſam nebulam & claudant.

De zona inflata vento vide in ſequente imagine.

149. ZEPHYRUS.

Faſcia vel zona, quam adoleſcens hic tenet intra duas manus ſuper caput vento inflatam, convenit figuris ventorum, quæ occurrunt in marmoribus antiquis, ſignificans motum auræ. Ovidius loquens de velis,

Nam

Nam modo Threicio borea, modo currimus euro,
Sæpe tument zephyro lintea, ſæpe noto.

Lucretius zephyrum dixit alatum, unde poſſemus dubitare, niſi vidiſſemus aliquot figuras vetuſtas per aerem & in locum alarum incurvantes pallium inſtar veli, notantes flatum & motum ipſorum ventorum, ut in nummis & ectypis antiquis & præcedente imagine.

150. PSYCHE.

Alæ papilionis adſignatæ huic Pſychæ ſunt ſymbola immortalitatis animæ, ut jam ſupra dictum eſt in alia imagine, tam quoniam eſt naturæ aereæ, quam quia renaſcitur ex proprio ſemine in æternum. Hic conſpicitur ipſa anima ligata inſtar ſervæ, manibus in tergum, captiva ducta ab affectibus corporis & ſenſu in hac vita; non elevata in altum, ſed flexo in genu poſita & humilis ob res terreſtres, ut docte philoſophatur Virgilius tum de cœleſti ejus origine, tum de carcere corporis cum affectibus.

Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec
auras,
Reſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.

151. AENEAS CVM ANCHISA.

Descriptio Virgiliana per omnia huic imagini convenit. Conspicitur Anchises velato capite, ob caussam relatam a Plutarcho in Quæstionibus, quia Romani in salutandis Deis & in sacrificiis velabant caput in signum reverentiæ & humilitatis ex more per Ænean in Italiam inducto. Hinc Anchises portans secum in vase illo penates Deos, toga frontem operit.

Ergo age care pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
& mox
Tu genitor cape sacra manu patriosque penates.
& mox.
Succedoque oneri, dextræ se parvus Julus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.

152. ANCILIA.

In imaginibus duorum sacerdotum Saliorum industrie est depicta toga vel tunica ab Latinis cognominata *picta*, instituta ab Numa Pompilio, ut narrat T. Livius. *Salios item duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit.* Hi Salii non exhibentur in habitu saltantium, ut solebant, percutientes scutum cum apice aut galea in capite, sed capite velato ad ritum Gabinum, convenienter ad habitum Numæ, quum is idem videret ancile e cœlo labens. Sic enim describit Ovidius in Fastis.

Constitit, atque caput niveo velatus amictu
Jam bene Dis notas sustulit ille manus.

Toga

Toga ſtricta & ſuccincta fuit ex antiquiſſimo uſu militari, quum Romani togati in militiam irent, ut ſic ad prælium eſſent agiles & expediti. Talem deſcribit Virgilius Picum Regem habitu Saliorum.

Ipſe Quirinali lituo parvaque ſedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat *Picus.*

Quod ad Sirenen & equum marinum in tunica pictum; vix aliquid excogito, in quo conſiſtam, quum Numa prohibuerit formare Deos ſub hominum & animalium formis. Alioquin videri poſſet, eum edoctum aliquam peregrinam philoſophiam, retuliſſe rerum principium ad aquæ elementum ex doctrina Ægyptiorum, Sirene quaſi inculcante Pythagoricam harmoniam. Sic nympha Egeria, quæ de rebus ad religionem pertinentibus eum inſtituebat, erat præſes Aricini lacus Dianæ, quæ typus humoris.

Egeria eſt quæ præbet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjunx conſiliumque fuit.

Sed expoſitionem hanc incertam relinquo, ut & characteres Etruſcos veteres, obſcuros uſque ad ætatem noſtram; quibus tamen hodie incipit exoriri magna lux ab erudita inquiſitione præfecti militum Coſmi dell'Arena, nobilis Florentini, viri digni utraque laude & ob militiam & ob cultum literarum. Hic in eo eſt, ut abſolvat alphabetum Etruſcum cum pulcherrimis typis & veſtigiis antiquitatum Etruſcarum; atque idem quoque in characteribus hujus imaginis legit vocabulum Ancilium.

 154. PHI-

153. PHILOSOPHUS.

Cum geſtu manus ac brachii velut diſceptans, ſedens in ſede vel cathedra, unde ab Seneca dicuntur *cathedrarii Philoſophi.*. Solebant declamatores & poetæ recitare in cathedris. Sed quoniam hæc imago eſt ſine tunica & media nuda, in mentem mihi venit exedrarum in gymnaſiis & thermis, in quibus non ſolum hi philoſophi, ſed rhetores & grammatici ſolebant congregari, & pariter cum corpore exercere quoque animum.

154. DIOGENES CYNICUS.

Satis notus eſt in ſuo dolio.

155. ALEXANDER MAGNVS.

Tenet ſceptrum una manu, altera innixus haſtæ.

156 MVTIVS SCAEVOLA.

Mutii factum in Porſena rege Etruſcorum celebratur ab Martiali in hoc epigrammate.

Quum peteret regem, decepta ſatellite dextra
Ingeſſit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæva pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis juſſit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Major deceptæ fama eſt & gloria dextræ,
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

157. CIN-

157. CINCINNATVS.

Ab aratro transiit ad dictaturam, memorabili exemplo virtutis Romanorum. Conspicitur se armans & inducens caligas, similis alteri imagini.

158. CARITAS.

Vel pietas militaris in sepeliendis mortuis, religiose observata & celebris apud antiquos, ita ut post pugnam solerent inducias facere cum hostibus, ut spacium locumque sepeliendi cadavera nanciscerentur. In hac imagine exhibetur miles cum altero milite, vel fortassis filio in humero letaliter frigefacto & immobili.

159. TRAJANVS.

Fragmentum hujus varii lapidis pulcherrimi spoliatum est vultu & pectore Imperatoris, qui credi potest fuisse Trajanus ab captivo Daco vel Partho ingeniculato cum tropæo. Lapidis varii magnitudo fere respondet huic figuræ.

160. VESPASIANVS ET DOMITIA.

Sic est scriptum per incuriam pro DOMITIANUS & JULIA in habitu Cereris cum spicis, quæ etiam significare possunt congiarium populo datum.

161. TRAJANVS ET PLOTINA.

Vultus Trajani ſatis bene notus eſt, ſed non etiam ille Plotinæ: unde ego potius cenſeam has duas imagines conjunctis manibus referendas eſſe ad fidem & concordiam maritalem. Claudianus in epithalamio Palladii & Serenæ.

Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, & his ultro ſancit connubia dictis;
Vivite concordes.

162. MILES SIGNIFER.

Notabile in imaginis ima parte acumen haſtilis ad figendum humi ſignum, de quo loquitur Dion.

163. MILES CUM SPOLIIS.

Tam apud Græcos quam Romanos moris fuit, ut victores deponerent & conſecrarent arma ſua Diis, ut etiam milites emeriti apparatum eorum militarem. In poetis Græcis exſtant pulcherrima epigrammata pertinentia ad has conſecrationes nunc Minervæ, nunc Jovis, nunc Martis. Sic Silentiarius.

Scutum taureum munimen cutis, hoſtiumque
Sæpius haſtam geſtantem inteſtina,
Et tela avertentem e pectore thoracem,
Et galeam equinis ſetis horrentem,
Poſuit Lyſimachus munus Martis.

Qui

Qui mos confirmari poteſt ex hac imagine, quæ poſſet exhibere gladiatorem vel athletam eodem ritu fungentem. Mirmillones & parmularii erant gladiatores armati ſcuto & galea, & hoplomachi erant juſtis armis inſtructi. Inter athletas erat genus curſorum, qui ſic armati gravi armatura currebant, de quibus videre eſt in Pauſania. Hi omnes deponebant conſecrabantque arma ſua Jovi & Apollini & Herculi & Neptuno, idque dicebatur *ponere* ſeu *deponere arma*, ut apparet ſculptum in hoc lapide, fortaſſis portato in annulo ab aliquo iſtorum athletarum aut gladiatorum.

164. MILES.

Cum præmio. Robuſtiores milites præmium virtutis accipiebant varia dona militaria, monilia, armillas, haſtas, coronas & arma, ſic ut legatur Alcibiades poſt partam victoriam ad Potidæam, favore Socratis accepiſſe coronam & armaturam. Hic cum galea, haſta, in typum præmii militaris; niſi quod apud Romanos haſta donari ſolita dicebatur pura, eratque ſine ferro. Unde dubitare cogor, & adhærere vetuſtis marmoribus, in quibus occurrunt ſimiles imagines apud Imperatores, & vocabantur cuſtodes armorum.

165. MILES.

Cum ſerpente in galea, qualis etiam viſus fuit in imagine Palladis.

166. NAMPHEROS:

Cum palma, victor ſacrorum certaminum habet

ſcutum & galeam, ſeu quod fuerit unus mirmillonum; ſeu curſorum armatorum, ut ante fuit dictum. Inter opera Silanionis numerat Plinius effigiem athletæ cum ſcuto.

167. GLADIATOR MERIDIANVS RVDIARIVS.

Tanta erat voluptas, quam capiebant Romani ex pugnis gladiatoriis, ut ideo uterentur variis generibus, fere ut congruerent varietati horarum diurnarum. Gladiatores matutini portabant galeam, ſcutum & alia arma ad arbitrium ejus qui edebat ſpectaculum, dicebanturque Ordinarii. Major voluptas erat, quam dabant Extraordinarii meridiani, circa horas meridiei, quum eſſent toti nudi, occidentes ſe ſine impedimento aut præſidio ullo, utebanturque ſica, ut apparet in his duabus figuris, qui ipſis dictus *gladiatorius mucro*. De his loquitur Seneca in epiſtola ad Lucilium, damnans adeo crudelis rei inventionem. *Caſu in meridianum ſpectaculum incidi.* Deinde. *Mera homicidia ſunt, nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra manum mittunt. Hos plerique ordinariis paribus & poſtulaticiis præferunt. Quidni præferant? Non galea, non ſcuto repellitur ferrum: quo munimenta? quo gladii artes? omnia iſta meræ mortes ſunt.*

168. GLADIATOR RUDIARIUS.

Quin etiam cogito illam ſicam, quam ipſe is gladiator tenet manu, eſſe rudem, quod genus armorum e ligno dabatur gladiatoribus emeritis & ab arena libera-

liberatis, quaſi non amplius eſſent obligati dimicare ad ferrum; licet Grammatici velint fuiſſe baculum laniſtæ, nihilominus aliud mihi perſuadet auctoritas Suetonii & Lampridii in Commodo: *Rudibus in arena inter cubicularios gladiatores depugnavit.* Et ille in Caligula. *Mirmillonem e ludo rudibus ſecum batuentem & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica, ac more victorum cum palma diſcucurrit.* Erat igitur rudis ſpecies quædam armorum, ad pugnandum mimice: & tales gladiatores vocabantur rudiarii ab ipſo illo rude, quem donum acceperant, eumque portabant in pignus & laudem fortitudinis ſuæ ac liberationis.

169. ACHILLAS.

Occiſor Pompeii. In gemma Stephanonii conſpicitur idem Achillas nudus & ingeniculatus coram Julio Cæſare, offerens illi caput Pompeii.

170. BUSTUARII.

Erant gladiatores, qui placabant Deos Manes & mortuos, quibus gratum credebant eorum ſanguinem. Mos hic fuit antiquiſſimus, & ſoliti occidi captivi ad ſepulcra eorum qui in prælio erant interfecti, ut fecit Achilles in funere Patrocli & Æneas in rogo Pallantis. Etiam depugnabant illi ante ſepulcra, & in hac imagine exſtat piramis ſepulcralis cum ingeniculato gladiatore, in habitu defendentis ſe ac reſtituentis per ſcutum. Poſtea funebres ludi converſi ſunt in laſciva ſpectacula, & cum tanta vulgi voluptate celebrabantur, ut relictis ſepulcris curarent ea

fieri in foris & theatris, dicebaturque *gladiatorium munus*.

171. LUSTRATIO.

Videtur hic se abluere, ut fieri solebat in lustrationibus; sed tamen, quia manu tenet ferrum ante columnam Bellonæ, magis videtur Bellonarius, hoc est, unus ex hujus Deæ sacerdotibus, qui secantes sibi venas, devovebant ei sanguinem suum. Lucanus lib. 1.

Quos sectis Bellona lacertis Sæva movet.

Hic Bellonarius jam jam se feriens, manum cruentat sanguine, qui ex tibia profluit. Vide Lactantium Firmianum, Arnobium & Tertullianum.

172. BRITANNICVS.

De hac imagine Britannici prætextati ex marmore Ægyptio vel potius Æthiopico, quod simile marmori Italis vocato *basalte*, sed paulo declinans in viride, supra diximus in dissertatione prooemiali harum annotationum.

173. SIGNA COELESTIA.

Horoscopus in signo Leonis facit hominem justum, veracem & magnanimum, ut illud animal non patitur se subjici cuicunque; quin etiam desiderat dominari & imperare. Contra scorpio est humilis, malignus & fraudulentus. In gemma vero apparet elevatio Leonis supra scorpionem, qualis portabatur ab

super-

ſuperſtitioſis in annulis contra fraudes ac proditiones.

174. LEO.

Signum cœleſte, ut in priore imagine.

175. ARIES MERCURII.

Fuit Mercurius Deus tutelaris armentorum: unde veteres arietem ei conſecrabant. Sed & in quibuſdam ipſius imaginibus conſpiciuntur ſpicæ: unde colligitur eum eſſe, qui auget greges & frumenta, in quibus præcipue conſiſtebant divitiæ & lucrum. Naturalis autem cauſa hujus imaginis eſt ea, quod in ſigno Arietis ſeges incipit ſpicam proferre; ſic denotans virtutem ſolis, quæ in altum tollit ſegetem cum culmo, & provehit in formam ſpicæ. Unde Martianus Capella recte appellat Mercurium Deum Veris.

176. FAUNUS ET CAPRA.

Affirmat Plinius, ſi paſtor capram barba prehendat, omnes alias conſiſtere velut ſtupidas. Pierius inde format hieroglyphicum in ſymbolum timoris & animi victi: etſi in hac figura Fauni appareat potius typus laſciviæ. Barba hæc caprina Plinio dicitur *aruncus*.

177. CAPRA ET PALMA.

Dicit quoque Plinius capram mordendo arbores efficere ut exſiccentur. Nihilominus eſt ea ſignum Venereum & ſymbolum fœcunditatis, ſicut etiam palma, quæ quocunque anni menſe producit ramum,

ut docet Horus. Eſt quoque ſymbolum conjunctionis & amoris conjugalis, quia in ea arbore mas & fœmina ſe invicem amplectuntur. Etiam illa in Ægypto cum vite portabatur in pompa Bacchi, cui itidem capra fuit ſacra.

178. CERVA SERTORII.

Apud Plutarchum & alios hiſtoricos nota eſt cerva, quæ intrepide inter arma & militarem ſtrepitum ſequebatur Sertorium. Unde aſtutus ille Dux fingebat eam ſibi miſſam ab Diana, tanquam ab oraculo, ut cum ea ageret de expeditionibus faciendis. Sub tali prætextu ſuperſtitionis Sertorius & terrebat hoſtes & animum militi ſuo augebat, vincens ubique & tropæa erigens, ut in imagine ſculptum exſtat.

179. REDA BACCHI.

Etſi reda hæc cum tigribus poſſit attribui Baccho, nihilominus exiſtimarem eſſe unam ex redis circenſibus, quum in multis vetuſtis vaſibus appareant ſimiles puſiones nudi & interdum alati in modum Amorum, qui currunt circa metas, cum variis redulis, leonum, tigrium, cervorum & aliarum ferarum ac animalium. Unam hujuſmodi imaginum ponit Panvinius in libro de ludis circenſibus, nec illic quidquam dicit, nec etiam reperitur aliquid ſimile in ſcriptore antiquo. In ea re igitur dicam id, quod mihi videtur veriſimile de hujus imaginis arcano. Quum curſus circenſis ſit quaſi effigies vitæ humanæ, quæ velociſſime progreditur ad ſuam metam, in ipſius pompa & apparatu prægre-

die-

diebantur ſaltantes juvenes, ſenes ac puſiones, omnis ætas, & nudi, & ſic quaſi omnes ſe exercebant ad curſum, ut expreſſum eſt in multis circenſibus marmoribus antiquis Romæ & in aliis locis. Præterea quantus fuerit numerus ferarum manſuefactarum, ut leopardi, leones, tigres, pantheræ, quæ adhibebantur ad eoſdem ludos, legitur in diverſis ſcriptoribus: ita ut Plinius narret M. Antonium fuiſſe primum, qui ad jugum & currum ſuum domuerit leones. Id ipſum ſignificatur in hac imagine per uſum tigrium, in qua motus adoleſcentis aurigæ & forma redæ potius accedit ad circum, quam ad Bacchica.

180. TIGRIS BACCHI.

Frequenter Dei exhibebantur ſub variis imaginibus animalium ipſis ſacrorum, ut Jupiter in aquila, Apollo in corvo, Bacchus in tigride, ut in hac imagine, cum ferula ejus Dei; & ſimilis conſpicitur in nummis.

181. LUPA.

Cum Romulo & Remo. Sæpe Romani ob gloriam antiquæ originis renovabant memoriam Lupæ cum Romulo ac Remo, ut apparet in multis marmoribus & nummis, conſentientibus omnibus eorum & ſculptoribus & poetis in una eademque deſcriptione: unde & hæc imago congruit cum ea, quam fecit Virgilius in ſcuto per Vulcanum fabricato.

Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam; geminos huic ubera circum
Ludere

Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos. Illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos & corpora fingere lingua.

182. LUPUS ET CAPER.

In hac imagine indicatur rapacitas per lupum prædatorem, & manſuetudo obnoxia violentiæ, ut in ſequente imagine.

183. LUPUS ET LEPUS.

Lupus, qui progreditur ex domuncula vel conditorio limacis, inſiliens unguibus & morſu leporem, ſimul ſignificat violentiam & improviſas inſidias, quæ fugæ tempus præcidunt & animorum imbellium prædas faciunt.

184. CANIS.

Sculptus ita, ut totus exſtet ac emineat in carchedonio zapphirino ad magnitudinem ipſius hujus imaginis. Jacet porrectus in longum, in quo poſitu Ægyptii ſculpebant hoc animal vigilans, etiam in ſomno, ad cuſtodiam ſepulcrorum, quomodo apparuit in marmore antiquo, & per iſtam quoque cuſtodiam attribuitur Diis Laribus.

185. EVROPA.

Hæc pulchra ſculptura reperitur in muſeo D. Joannis Petri Bellorii, mei ſingularis amici & fautoris, cui ego illam donavi in memoriam debiti mei erga illum

illum amoris. Argumentum quoque hujus Europæ tanto eſt artificioſius, quanto ſimilius eſt deſcriptioni Achillis Tatii & Ovidii in quinto Faſtorum.

Præbuit ut taurus Tyriæ ſua terga puellæ
Iupiter, & ficta cornua fronte tulit.
Illa jubam dextra, læva retinebat amictus,
Et timor ipſe novi cauſa decoris erat.
Aura ſinus implet, flavos movet aura capillos,
Sidoni ſic fueras adſpicienda Jovi.

Et libro 11 Met.

Mediique per æquora ponti
Fert prædam, pavet hæc lituſque ablata relictum
Reſpicit, & dextra cornu tenet, altera dorſo
Impoſita eſt, tremulæ ſinuantur flamine veſtes.

186.
187. TAVRVS.

Signum cœleſte. Taurus incurvato genu unum eſt e ſignis cœleſtibus, ut deſcribitur a poetis & Aſtronomo Manilio. *Taurus*
Succidit incurvus claudus pede.
Et elegantius a Lucano lib 3 Pharſ. *Niſi poplite laſſo*
Vltima curvati ſuccederet ungula Tauri.
Hæ deſcriptiones confirmantur auctoritate pulcherrimi globi Atlantici ex marmore in celeberrimis antiquitatibus palatii Farneſiani Romæ, ubi ſunt cœleſtia ſigna cum Tauro ſculpto dimidiato, prorſus apprime ad modum, quo in his duabus imaginibus exhibetur; ſed & aliæ ſimiles conſpiciuntur in multis nummis Auguſti Syracuſanis, Mamertinis, & Tauromenitanis.

188. VACCA AEGYPTIA.

Nutriebatur in quibusdam regionis ejus locis, maxime in urbe Memphi, quæ habebatur mater Dei Apidis, ut refert Strabo. In lineamentis hujus figuræ cognoſcitur forma Ægyptia.

189. PASTOR.

Cum agreſti lacerna aut palliolo adſtat armento; quoniam taurus furens eſt & concitatus in libidinem. Nihilominus feritas hujus animalis domatur voluptate generandi, ut deſcribit Ovidius.

Læta ſalitur ovis, tauro quoque læta juvenca eſt,
Suſtinet immundum ſima capella marem.
Blanda truces animos fertur mollire voluptas.

190. BIGA.

Nummi quidam conſulares argentei appellantur bigati & quadrigati ab redula duobus vel quatuor equis juncta, illic expreſſa cum Victoria. Hic typus originem habuit a celebritate ludorum Circenſium, qui exhiberi Romæ ſolebant ab Conſulibus & Ædilibus. Quoniam vero omnis eorum voluptas & gloria pendebat ab victoria, etiam hanc formabant in habitu dirigentis & gubernantis redam. In aliis antiquis ſculpturis exſtat ibi auriga comitatus eadem Victoria cum corona & palma in modum triumphantium.

191. BIGA.

Lapis varius eſt notabilis ob ſummam ſculpturæ præſtantiam, & ob colores, habens fundum obſcurum, unum ex equis candidum ex ſardonyce, alterum zapphirinum tenebroſum. Ingenium ſculptoris luſit in ingenio gemmæ, imitantis morem veterem in eligendo equo candido & nigro, ad ſimilitudinem lunæ, quæ & noctu & interdiu videtur.

192. AVRIGA.

Veſtitus aurigarum erat ſuccinctus & adſtrictus, ut exhibetur in hac imagine, cum pileo in capite,. & illo veſtierunt ſeſe Caligula, Nero, Commodus & Elagabalus cum contumelia dignitatis Imperatoriæ. Palma erat præmium, quæ primum data Romæ victoribus, ex more Græco, in reditu Carvilii & Papirii, ut narrat Plinius.

193. EQVI DESVLTORII.

Deſultores ſolebant cum velocitate ſane periculoſa tranſſilire alternis ex uno equo in alium in ipſo vehementiſſimo curſus impetu. Et de his intelligit Propertius.

Eſt etiam aurigæ ſpecies Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

In figura ſunt quatuor generoſi equi ſine freno, ut ſolebant, & ab ipſo deſultore incitantur ad curſum.

194. VENATIO APRORUM.

Quæ etiam conſpicitur in nummis plane huic conveniens, cum cane & apro lancea transfixo, & inprimis in moneta argentea notata nomine triumviri Getæ, cum vultu Dianæ, & apris, ſymbolo ipſius Deæ.

195. AQVILA TRIVMPHALIS.
196.

Inſigne legionum Romanarum hoc nomine vocatum, Lucanus.

Ut notæ fulſere aquilæ Romanaque ſigna.

Cajus Marius in ſecundo ſuo conſulatu fuit primus, qui eas legionibus ſuis dicavit. Et ſicut illa volucris princeps eſt reliquarum, ſic placuit hoc inſigne imperio triumphanti & populos omnes ſubjuganti, quale exhibetur in his imaginibus cum laurea corona in roſtro. Duæ hic apparent inſignes, exornatæ duobus ramis laureis, quæ ſolennia triumphorum ornamenta. Duo cornua copiæ, quæ complectuntur mundi globum inter duos delphinos, indicant felicitatem imperii terra marique.

197. AQVILA CUM SERPENTE.

Explicatio hujus commenti datur ab Plinio, loquente de ſerpentibus, quæ ſolent ſpoliare nidum aquilæ. *Nec unus hoſtis illi ſatis eſt; acrior eſt cum dracone pugna, multoque magis anceps, etiamſi in*

aere

aere. Ova hic consectatur aquilæ aviditate malefica: at illa ob hoc rapit ubicunque visum; ille multiplici nexu alas ligat, se implicans, ut simul decidant.

198. AQVILA ET CANIS.

Scribit Strabo Cynopolitanos in Ægypto adoravisse canem & Thebanos aquilam. Sed hæc animalia etiam referri possunt ad signa cœlestia.

199. GALLVS MERCVRII.

Fuit hic ales consecratus Mercurio propter vigilantiam; quippe vigilantissimus gallus, & (ut vult Proclus) particeps solis. Homo autem si vult comparare divitias, necesse est ut sit agilis ad laborandum & promptus; ob quod argumentum gallus spicam rostro tenet. Hæc figura convenit cum alia Arietis Mercurii.

200. GALLVS MARTIS.

Etiam in expeditionibus bellicis maxime necessaria est vigilantia, ut prævenias, prævideas provideasque omnia, exemplo Julii Cæsaris, unde Mars Victor dominatur mundo, cujus symbolum est hæc imago.

201. PSITTACVS.

Sic antiquitus appellatus, qui nunc Italis pappagallo, imitatur vocem humanam, quem sic inducit Martialis loquentem & adulantem Domitiano.

Psittacus a vobis aliorum nomina disco,
Hoc per me didici dicere, Cæsar ave.

202. REDA VULPIS.

Quæ flagello percutit & frænat duos gallos, redæ alligatos. Significat astutiam cum vigilantia necessariam rebus exsequendis; ut in sequente epigrammate.

En trahitur celeri mendax Vulpecula curru,
Verberat & vigiles callida semper aves.
Insomnes volvit solers Astutia curas,
Utitur assiduis insidiosa dolis.

203. CHIMAERA.

Quam ego magis proprie videor vocaturus amuletum contra maleficia & defixiones potens simul & fortunatum. Est ibi caput arietis Ammonis salutaris, cum cornucopiæ superius exundante & felice. Gallus conculcat delphinum, id est, procellam aut odium intellectum sub figura piscis ab Sacerdotibus Saiticis: & palma, typus victoriæ inimicorum & triumphi. Gallus colore candido immolabatur Anubidi, qui erat idem Deus Mercurio, quo indicatur res superiores esse sinceras purasque, & sic exprimitur hic ales in ista imagine velut supremus genius favensque. Præstigiatores gallo attribuebant vim maleficiorum, & inter instrumenta sua solebant habere unam ex curvis caudæ pennis, quemadmodum per sanuam & ludibrium Lucianus eum facit adsessorem ac paredrum Mercurii, loquentemque introducit cum Micyllo, cui narrat

narrat ſe eſſe transformatum Pythagoram clariſſimum magum. Caput agreſte & caprinum vicinum arieti exhibet Deum Pana contra timorem & conſternationem, quoniam panici vocabantur repentini terrores, quos credebant immitti ab illo Deo.

204. CHIMAERA.

Hoc ſecundum amuletum refert avem Ibin, cirratam, qualis conſpicitur in hieroglyphicis obeliſcorum, eratque dedi ata Oſiridi & Iſidi, bonis & ſalutaribus Geniis. Conculcat ea crocodilum, hoc eſt, Typhonum infauſtum Genium & malignum ex doctrina Ægyptiorum, qui credebant gubernari mundum ab duobus principibus, quorum unus erat auctor boni, alter mali. Ibis ſic erat propitia Ægyptiis, ut occideret ſerpentes noxios & regionem purgaret. Eandem benevolentiam agnoſcebant in Jove Hammone, qui devorabat criſtatum draconem monſtroſum, quem innuebant per Typhonem, cui adſcribebant crudeliores feras. Janus duobus capitibus ſignificat vim ſolis & Oſiridis ab oriente ad occidentem, die & noctu. Cujus religioſus cultus & inde hieroglyphicum ab Ægypto tranſvectum eſt in Græciam & Italiam.

205. CANOPUS.

Deus & Genius elementi humidi. Hic quoque fingebatur ab Ægyptiis capite humano ſuper hydriam aut vas aquaticum Feſtivum hujus Dei contra Chaldæos, qui ignem adorabant, miraculum refertur ab Rufino.

Gry-

Gryphus, cui ille eſt impoſitus, anteriore pede movet rotam, quod ſymbolum eſt ſolis, qnippe procreatione rerum veniente ex circuitu & motu currus ſolaris. Et quoniam nec aqua nec humor poteſt efficere aliquid in natura ſine ea ipſa ſolis virtute, propterea conſpicitur ab iſto grypho portatus hic Deus Canopus.

206. SPHINX.

Ægyptii fingebant ſphingem vultu virgineo & corpore leonino, ad denotandam virtutem ſolis, quæ dat principium & finem in duobus his ſignis inundationi. De rota ſolari, quæ movet aquam, adſignata ſoli dictum eſt in priore figura.

207.

208. ANIMAL AEGYPTIUM.

Et hieroglyphicum, fictum monſtri in modum, cum gemina natura Tauri & Leonis, pariter confuſa, ad exhibendam virtutem ſolis in Tauri ſigno per vernum tempus efficace ad generationem, & poſtea quoque in altero Leonis ſigno, quod coquit & maturat. Sub eadem quoque figura comprehenduntur Apis & Oſiris, alter ſub Tauri, alter ſub Leonis ſpecie ſignificatus.

209. CVR-

209. CVRRVS AMORIS TRACTVS AB DELPHINIS.

In marmoribus antiquis sculpti occurrunt suavissimi joci maritimi de Venere & Amoribus, qui præcipue frænant Delphinos, quia hi sunt & pisces in mari & signum amoris in cœlo, ut describit Ovidius.

Quem modo cælatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos.
Seu fuit occultis felix in amoribus index,
Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.

Quin etiam Delphinus sacratus fuit Veneri matri Amoris & Deæ marinæ.

210. AMOR ET DELPHINUS.

Sic Amor ostendit pari modo se regnare in terra & simul in aquis, per symbolum Delphini, ut elegantissime scripsit Tzetzes.

Nudus Amor, ob hoc ridet & gratiosus est,
Non enim habet arcus & ignitas sagittas,
Nec frustra manibus tenet delphinem & florem;
Hic enim terram, ille vero mare habet.

211. DELPHINUS.

Signum cœleste.

212. EQUUS MARINUS.

In quibusdam nummis est symbolum Neptuni vel signum cœleste.

213. LYRA APOLLINIS

Compoſita ab duobus delphinis cum tauro. Delphini hnic Deo conſecrati ſunt, quia delectantur muſica, & quoniam Apollo ſe mutavit in hunc piſcem, & cognominatus fuit Delphinius. Ad typum lyræ & Delphini repetam verſus ſupra ex Ovidio citatos:

Seu fuit occultis felix in amoribus index,
Lesbida cum domino ſeu tulit ille lyram.

Taurus eidem Deo ſacratus erat, ut exponit Euſtathius, ideo, quod colens aratione terram, adjuvat ſolem in procreando. Harmonia Lyræ hujus cœleſtis commovet animum meum jam pronum in obſequia Illuſtriſſimi & plurimum Reverendi Equitis, D. Abbatis Caſſiani del Pozzo, qui clarus æque doctrina & morum nobilitate, dignatus fuit augere ſimul has imagines & meam dactyliothecam dono tam ſingularis gemmæ, vincens ita meas preces & hujus operis ambitionem. Sed quanto magis mihi convenit, ut ſilentium tanto nomini litem: duplo magis ipſe meretur harmoniam Apollinis & Muſarum, quibus ipſe præbet hoſpitium domi ſuæ, quæ eſt verum muſeum & verus Parnaſſus Romanus, ubi cum theſauro doctiſſimorum librorum & cum voluminibus immortalium imaginum inſtauravit ornamenta Græciæ & Romæ, reddens conſpectui & memoriæ, quæ tempus ſepelierat ac rapuerat. Ad tantum decus pari ſtudio cum illo currit Illuſtriſſimus D. Carolus Antonius del Pozzo, concors ejus frater, qui & refert merita avi ſui

ſui, & propria virtute ſe extollit in ſplendore nobiliſſimæ ſuæ gentis.

214. SISTRVM.

Quatuor virgæ ſiſtri denotant quatuor elementa: & rotunditas, quæ illud cingit, convenit cœlo lunæ, per quod omnes res moventur. Siſtrum quoque in ſacrificiis concutiebatur, ad notandum, res omnes naturales eſſe ſemper in motu. Flos lotus, qui eſt in parte ſuperiore, denotat virtutem ſolis, quæ movet ad generationem. Pulcherrimum ſiſtrum ex metallo conſpicitur in Muſeo D. Equitis Gualdi, ubi etiam adſervatur magna copia rerum antiquarum & peregrinarum, ab illo accurate collecta.

PARTIS PRIMAE

FINIS.

ISIDE ET SERAPIDE



In Corniola

APOLLO



In Niccolo

ESCVLAPIO



In Corniola

HERCOLE



Jn Agata nera

HERCOLE



In nicholo di tre colori

HERCOLE



In Corniola

HERCOLE



In nichlo

HERCOLE



In Cristallo

BACHO



In Cameo

PANE



In Diaspro rosso

FAVNO



In Agata nera

FAVNO



In Corniola

MELEAGRO



In Corniola

HIACINTO



In Corniola

HOMERO



In Diaspro rosso

FILEMONE



In Corniola

SILENO



In Corniola

VERGILIO



In Corniola

SOCRATE



In Corniola

ARCHITA



Jn Corniola



In Cameo

FILOSOFO



In Corniola

FILOSOFO



In Corniola

APPOLLONIO TIANEO



In Agata nera

POETA INCOGNITO



In Corniola

FILOSOFO



In Calcidonia

M.TVLLIO CICERONE



In Agata nera

SENECA



In Cameo



In Corniola

SACERDOTE



In Corniola

PERGAMO RE



In Corniola

ALLIONE



In Corniola



In Agata varia

ALESSANDRO M



In Ametisto

TOLOMEO



Jn Corniola

TOLOMEO.RE



Jn Corniola

TOLOMEO APIONE



In Cameo

TESTA INCOGNITA



In Diaspro rosso

MASSINISSA . RE



In Ametista

ANTINOO



In Corgnola

SOLDATO



In Corniola

NVMA POMPILIO



In Corniola

L. IVNIO BRVTO



In Corniola

C. SVLPITIO



In Prasma

CN. POMPEO. M



In Corniola

GIVLIO CESARE



In Calcedonia

C. GIVLIO. CESARE



In Corniola

AVGVSTO ET SVO ASCENDENTE



In Cristallo

AVGVSTO



In Hiacinto

M.AGRIPPA



In Cameo

TIBERIO



In Cameo

C.CALIGVLA



Jn Corniola

NERON DRVSO



In Cameo

GERMANICO



In Cameo

LVCIO



Jn Elitropia

CLAVDIO



Jn Cameo

BRITANICO



In Cameo

NERONE



Jn Corniola

GALBA



In Zaffiro

CALBA



In Cameo

TRAIANO



Jn Nichola

ANTONINO



In Agata varia

COMMODO



In Corniola

SETTIMIO



In Prasma

SETTIMIO.ET.GIVLIA



In Cameo

CARACALLA



In Corniola

ELAGABALO



In Corniola

ISIDE



In Cameo

MINERVA



In Agata

PALLADE



In Hiacinto

MINERVA



In Cameo

MEDVSA



Jn Diaspro rosso

DEIANIRA



In Corniola

PSICHE



Jn Corniola

SAFFO



In Corniola

OLIMPIA



In Cameo



In Cameo

CLEOPATRA



Statua In Agata Varia

CLEOPATRA



Jn Cameo

REGINA ESTERNA



In Cameo

AGRIPPINA . MINORE



In Corniola

TESTA INCOGNITA



In Corniola

LVCRETIA



In Plasma

AGRIPPINA MAGGIORE



In Grisolita

POPPEA



Jn Cameo

SABINA



In Corniola

FAVSTINA MAGGIORE



Jn Agata Varia

FAVSTINA MINORE



In Diasprorosso

GIVLIA AVG.



In Cameo



In Corniola

TESTA INCOGNITA



In Cameo

BACHANTE



In Corniola

BACHANTE



In Corniola

BACHANTE



Jn Onice

BACHANTE



In Lapis azzurro

BACHANTE



In Plasma



In calcidonio zaffirino

BACHANTE



In Ametisto

TESTA INCOGNITA 99

Leander?



In Corniola

MASCHERE BACHANALI DE SILENI



MASCHERA SCENICA



MASCHERA SCENICA



In Hiacin

MASCHERA SIMBOLICA.



In Corniola

VERITA



In Cameo

IL TEMPO



In Calcidonio



In Corniola

APOLLO



In Corniola

CANIMEDE



Jn Corniola



In Calcidonio zafferino

HERCOLE ET EVRISTEO RE



In Niccolo

HERCOLE



In Corniola

IOLE



In Ametisto

IOLE



In Corniola

TRE GRATIE



Niccolo di vari Colori

VENERE CELESTE



In Corniola

VENERE E AMORE



In Corniola

VENERE VITTRICE



In Onice

VVLCANO



In Corniola

DIANA EFESA



In Corniola

DIANA CACCIATRICE



Jn Corgnola

SPERANZA



In Onice

CERERE



In Onice

FORTVNA



Jn Prasma

LIBERTA



In Onice

DEA RVMILIA



In Corniola

AMORE VINCITORE



In Corniola

IL GIVOCO CONPAGNO DI AMORE



In Corniola

ARPOCRATE



In Niccolo

PVTTO GIOCATORE



Jn Corniola

PALLADE



Plasma di Smeraldo

BELLONA



Plasma di Smeraldo



In Onice

SILENO



In Corniola

SACRIFITIO DI BACCHO



In Onice

BACCHANTE



In Balasso

FAVNO



In Corniola

FAVNA



In Diaspro Verde

SACRIFITIO ALLA SALVTE



In Corniola

SACRIFICANTE



In Agata varia

SACRIFITIO ALLA SALVTE



Jn Corniola



In Cameo

SACRIFITIO DI CALICVLA



In Elitropia

TALIA MVSA



Jn Cameo

TERSICORE



In Plasma di Smeraldo

CLEOPATRA



Jn Corniola.

LOTTATORI



In Corniola

AVTVNNO



In Corniola

VNA.DELLE.HORE



Jn Niccolo

ZEFFIRO



Jn Agata varia

PSICHE



In Corniola



In Onice

SCVDI ANCILI



In Agata varia



In Agata nera

DIOGENE



Jn Corniola

ALESSANDRO.M



In Corniola

MVTIO SCEVOLA



In Calcidonio

CINCINNATO



In Onice

CARITA MILITARE



In Corniola

TRAIANO



In Cameo

VESPASIANO.E.DOMITILLA



In Plasma di Smeraldo

TRAIANO ET PLOTINA



In Elitropia

SOLDATO SIGNIFERO



In Onice

SOLDATO CON LE SPOGLIE



In Igiada

SOLDATO. COL. PREMIO



In Onice

SOLDATO



In Corniola

NAMFERO VINCITORE



In Corniola

GLADIATORE



In Onice

GLADIATORE



Jn Onice

ACHILA



In Onice

BVSTVARIO



In Corniola



In Corniola



Statua di Pietra Egitia Verde

SEGNI CELESTI



In Elitropia

LEONE



In Niccolo

ARIETE.DI.MERCVRIO



In Corniola

FAVNO ET CAPRO



In Cristallo Vermiglio

CAPRA.DI.EGITTO



In Diaspro rosso

CERVIA DISERTORIO



In Elitropia

CARRO DI BACHO



In Corgnola

TIGRE DI BACHO



In Corgnola

LVPA CON ROMVLO E REMO



In Corniola

LVPO ET CAPRO



In Corgnola

LVPO ET LEPRE



In Niccolo

CANE



Tutto Rileuo in Calcidonio Zaffirino

EVROPA



In Corniola

SEGNIO CELESTE



In Agata Negra

SEGNIO CELESTE



In Onice

VACHA. DI EGITTO



In Nicolo

PASTORE



In Calcidonio

BIGA.



In Agata Negra

BIGA



In Cameo

AVRICATORE



In Corgnola

CAVALLI DESVLTORI



In Corgnola

CACCIA DEL CINGNIALE



In Corgniola

AQVILA TRIONFALE



In Niccolo

AQVILA. TRIONFALE



In Corniola

AQVILA CON SERPENTE



In Agata Nera

AQVILA.ET.CANE



In Corniolo

GALLO ET MERCVRIO



In Corniola

GALLO DI MARTE



In Corniola

PAPPA . GALLO



In Smeraldo Orientale

CARRO.DELLA.VOLPE



In Diaspro Rosso

CHIMERA



In Niccolo

CHIMERA



In Onice

CANOPO



In Corgnola

SFINGE



In Agata Nera

ANIMALE EGITIO



In Agata Negra

ANIMALE EGITIO



In Agata Varia

CARRO D'AMORE TIRATO DA DELFINI



In Diaspro rosso

AMORE E DELFINO



In Niccolo

DELFINO




In Niccolo


CAVALLO MARINO



In Plasma di Smeraldo



In Corgnola



In Plasma di Smeraldo